



ff



oo  
Bar

... donat  
... chy  
E. O. 142.





2  
IULII CAESARIS  
SCALIGERI

ORATIO,  
PRO M. TVLLIO  
CICERONE CONTRA  
Ciceronianum Erasmi.

EIVSDEM HYMNI  
*Sacri,*

ET POEMATATA SACRA.

Omnia nunc alijs intacta in lucem  
reuoata.



Johannes Lupius  
Saxo Transylvan.  
L. 1. 6. 49.

COLONIAE,  
Apud Bernardum Gualtherium.

ANNO M. DC.







CLARISSIMO

ORNATISSIMOQVE

VIRO CASPARO GROPPERO,

I.V.D. Archiepiscopi Saltzburgen-  
sis Consiliario, Mœcenati  
colendissimo,

BERNARDVS GVALTHERI

S D.



*IV* multumq̄, Vir Cla-  
rissime D. GROPPER-  
RE, olim disceptatum  
apud Rhetoras de Imi-  
tatione, vn̄sne Cicero, Eloquentiæ  
princeps imitandus, an plures sine dile-  
ctu exprimendi. Peruicit tandem eorū  
sententia, prestansq̄ iudicium, qui, vt  
in pictura, sic & in stylo informando,  
dicendiq̄, exercitatione optimū quem-  
que Latinorum (is autem M. Tullius  
est) effingi oportere censuerunt. Qua  
quidem de re disertè nuper disserue-  
runt Bartholomæus Riccius, Italus, &  
Sebastianus Foxius Morsillus, homo Hi-  
spanus: In Germanica verò gente Ioan.  
Sturmius, Ioach. Camerarius, Iac.

† 2

Om-



PRAEFATIO.

Omphalius, & Io. Sambucus, Pannoni-  
 nius: quorum opera haec iam profligata,  
 ad exitumq<sup>3</sup>, adducta Imitationis Que-  
 stio videatur, acerrimè pridem agita-  
 ta, ab Angelo Politiano maiorum me-  
 moria, post à Io. Francisco Pico; paren-  
 tum verò atate ab Erasmo Roteroda-  
 mo: Verùm Politiano Paulus Cortesius  
 respondit: Picum Petrus Bembus refel-  
 lit. Erasmus denique, edito Dialogo  
 quem Ciceronianum inscripsit, in o-  
 dium, credo, Christophori Longolij Bel-  
 gae, Ciceronis emuli, hanc disputatio-  
 nem tam disertè instaurarat, vix ut  
 reperiri potuerit qui cum athleta illo  
 ac gladiatore strenuo in palastram de-  
 scendere auderet: Prodiit tamen in A-  
 quitania IULIVS CAESAR SCALI-  
 GER, homo Italus, sed qui in Gallia v-  
 xore ducta domicilium perpetuum fi-  
 xisset, singulari vix doctrina atque Elo-  
 quentia, Philologus idem, Medicus,  
 atque Philosophus excellens. Is adole-  
 scens etiamnum calore quodam dicen-  
 di vehementiaq<sup>3</sup>, in senem sic incurrit,





PRAEFATIO.

ut causam eius iugularit: Cicero-  
nemque liberali causa manu vindi-  
carit. Ut dum Lucianum ille, quo erat  
ingenio, libello de Historia scriben-  
da Dialogo illo expresserat, sic M. Tul-  
lij Philippicam secundam (quam diui-  
nam Satyricus appellare non dubitat)  
hic est imitatus. Ad cuius etiam exem-  
plum, dispari tamen fortuna ac felici-  
tate, idem argumentum Stephanus  
Doletus, Aurelius tētauit. Scaligeri ve-  
rò Oratio, etsi Lutetia olim à Vidouæo  
edita sit, paucis tamen exemplaribus,  
ut vix vnquam visa, à paucioribus et-  
tiam lecta. Si enim Lugduni Batauo-  
rum nacti eam fuissent, vel addidissent  
Orationibus quinque Scaligeri, quarū  
vna de INEPTO est apud Cicero-  
nem: & Epistolis XCVII. Vel si omisif-  
sent studio, fidem, humanae societatis  
Oraculum violassent: malè de Iulij Cæ-  
saribus Manibus merentes, dum eum ob-  
torto collo in suum gregem attrahere  
nituntur: ut et antea Geneuenses, qui e-  
ditis Poematis Scaligeri, & quæ vellet





P R A E F A T I O .

*additis Hymnos sacros, quos in Deū  
& Sanctos, ritu Catholico Lugduni e-  
ditos decantarat, dedita opera detrun-  
carunt. Quid est, si hoc non est fidem  
publicam plagiariorum more violare?  
Quo fit ut diuinitus reperta ars hęc ty-  
pographica, & singulari Dei immorta-  
lis beneficio mortalibus attributa, vti-  
lissima quidem sit, si ex fide bona caste-  
que utaris; sin per fraudem abutare,  
tum demum Ecclesiæ Dei, Reiq; publi-  
cæ disseminatis per famosos libellos er-  
roribus, sectis, deprauatisq; opinion-  
ibus, perniciosissima esse videatur. Hinc  
queri apud doctos; quos etiam queri  
audio, plus ne commodi an incommodi  
typographica ars adferat? Quod, ut &  
de rebus adeo omnibus, si utaris malè,  
disputari τῶσβληματικῶσ queat: ve-  
rūm non nunc hic locus. Eo tantum e-  
uadere volebam, gratiam ei deberi, qui  
hanc è tenebris, situ, ac squalore eruit,  
vindicauitq; Scaligeri pro M. Tul-  
lio Cicerone contra Ciceronia-  
num Erasmi orationem, disertam  
sanè*



P R A E F A T I O .

sanè, atque vberem, cum argumentorum, tum rerum copia: vt legisse iuuet: quo ad Ciceronem magis hodie iuuentus excitetur, auocata à nescio quibus, mimico dicendi genere, Plautino, Apuleiano, ac Sidoniano, vel ex his misto tanquam vna Mycone, vt nullus in purpura pannus perinde foedus turpisq; sit, atque horum variegata è poeticis, historicis, atque oratorijs, vocibus oratio, rãcida, antiquata, obsoleta, nouis, peregrinis, atq; inusitatis citra dilectum commiscentur.

Spektatum admissi risum teneatis amici?  
Quanto igitur rectius iudicauit pridem  
S C A L I G E R? qui Ciceronem Elo-  
quentia parentem retinendum, de ma-  
nibus non deponendum, imò ediscendã  
suadet: crepent, fremantq; licet omnes  
Erasmiani, qui nisi è Moria, hoc est,  
Stultitia sapere discunt; eorumq; Cor-  
rumpunt mores Colloquia pra-  
ua. vt verè est à Menãdro Comico pro-  
nunciatum. At verò qui in litteris su-  
pra vulgus litteratorum sapiunt, &  
anti-



PRAEFATIO.

antiquatis nimirum Scriptoribus, ac recentioribus valere iussis, bonas horas in Cicerone assidue legendo (dum stylum formant, parentque veram Eloquentiam) collocabunt: ut sibi tanquam à tripode Apollinis oraculum à Fabio Quinto. pronuntiatum existimet: ILLE SE PROFECISSE SCIAT CUI CICERO VALDE PLACEBIT. Quid si non placeat solum, probetque, sed & imitetur feliciter, quae tandem laude dignum existimabimus? Omnium sane punctis laudabitur. Hanc igitur postlimino reuocatae & tanquam ab Orci faucibus vindicatam Orationem pro M. Tullio, addita etiam Iulij Caesaris Scaligeri vita, ex ea quam Iosephus Iulij F. nuper euulgauit, decerpta: Tibi potissimum, Vir Clarissime, inscribere placuit, tum ut eam ab inuidorum calumnijs, tanquam Aiacis clypeo quodam tuearis atque defendas; tum ut me in tuorum esse aliquo, qui te obseruat, numero patiaris, Vale. Coloniae Agrippinae, Anno reparatae sal. 1600. die 18. Iulij.

IVLII





# IULII CAESARIS

SCALIGERI VITA; IOSE-  
pho Iulij Caesaris F. au-  
ctore.

**N**ATIVUS est IULIVS patre Be-  
nedicto Scaligero, matre Bere-  
nica Lodronia, Comitum Pari-  
dis Magni filia; anno reparatae salutis  
M. CCCC. LXXXIV. ante diem 9. Cal.  
Maij, Feria sexta, sex annis ante Mattiae  
Coruini, Pannoniae Regis interitum.  
Natus inquam in castro Ripa ad caput  
Benacij, qui lacus fuerat haecenus Diti-  
onis Scaligerorum; qui cum ingenti  
Venerorum odio laborabant, à qui-  
bus Veronensis etiam Comitatus cre-  
ptus, post etiam Ripa castro potiti,  
quae arx veluti vltima de naufragio  
Scaligeræ domus tabula restabat. Puer  
in auitis agris cum Tito fratre eductus  
est, primaque litterarum & Gramma-  
ticae rudimenta posuit, apud Ioannem  
Lucundum, Veronensem, Scaligeræ fa-  
miliae clientem, hominem eruditum,  
quantum Vitruuius ab eo, alijque editi  
ostendunt: qui postea vterat probissi-  
mis moribus, Franciscanis sese sodali-  
bus adiunxit: eiusque præceptoris post  
exemplum secutus est Iulius, sed repuit  
ille

A

ille



ille æstus, atque ab instituto resiliit. An-  
 nos natus duodecim Maximiliano Cæ-  
 sari à Patre Benedicto oblatus, in nume-  
 ro est habitus illustrium puerorum ar-  
 licorum, armorumque omni genere se  
 exercuit. Ioannes verò Goropius Becan-  
 nus, in Becceselinis Iulium Cæsarem  
 rider, quod Pyrricham armatus coram  
 Cæsare saltarit. Secutum post est bellū  
 funestissimūm Rauennate. Hoc prælio  
 Benedictus parens, Titusque Cæsareæ  
 turmæ vexillifer ceciderunt. Iulius co-  
 dauera in tuto collocavit, & aquilam  
 receptam Cæsari reddidit. Gasto autem  
 Foxius pugnam in Cæsarianos instau-  
 ravit, & à cataphraeto Gallo equo deie-  
 ctus Iulius, sexcentis equorum vngulis  
 proculcatus, tandem euasit. Laudatus à  
 Maximiliano virtutis ergo, torque et-  
 iam aureo, & calcaribus donat⁹, eques  
 creatur. Ferrariam inde, commeatu ac-  
 cepto migrans, corpora retulit Patris,  
 fratrisque. Mater Berenice mœrore ex-  
 tincta est: quorum funera Iulius in  
Nymphis indigenis deplorat. Hic vt &  
in Italia, Comitibus à Bu d. n. nomine notior  
 Ducis primi liberalitatem expertus est,  
 eidemque poema inscripsit Er. dani no-  
 mine, quod malè elysium Lilius Gi-  
 ral-



raldus Ferrariensis appellat, libro de  
 Poetis sui sæculi. Deferuit paulatim  
 militiæ æstus, & ad studia, inuitatus  
 in Liguribus Taurinis à Medico quo-  
 dam animum traduxit. Bononiæ (v-  
 bi Ioanni Scoto operam antea dare  
 cœperat) eos in Aristotile progressus  
 fecit, vt & magistris ipsis, disputando  
 admirationi esset. Annum agens quin-  
 ctum & tricesimum, nocturnis mili-  
 tiæ laboribus, ac litterarijs lucubratio-  
 nibus arthritidem contraxit. Altero  
 anno à morbo recreatus, Græcas lit-  
 teras incredibili celeritate, auidissimè  
 arripuit. Hinc militia valere iussa, re-  
 liquum vitæ tempus litterarum stu-  
 dijs transmittere constituit, cum i m-  
 annum, quadragesimum excessisset.  
 Aginni Nitcoburgum domicilium se-  
 demque studiorum fixit, Episcopi A-  
 ginnensis, & <sup>ex</sup> Gente Rouerorum li-  
 beralitate adductus. Igitur quinto &  
 quadragesimo ætatis anno, nobilem  
 ibi virginem duxit annorum sedecim,  
 Audiëttam de Roca Lobeiaca: cum  
 qua annos vndetriginta, sine querela  
 vixit, ab anno eius sæculi xxix. vsq; ad  
 quinquagesimum octauum; quo diem  
 Iulius clausit extremum relictis de  
 quindecim, septem liberis superstitibus:



4 IVL. CAESARIS  
maribus quattuor ex quinque, & tri-  
bus ex decem feminis. Quorum filiorū  
natu maximus Siluius; qui morbo in-  
dotalibus Nouempopulanæ agris, an-  
num agens quadragesimum quintum  
extinctus est. Illi parens eruditos de  
*Pœtica* libros inscripsit. Hinc Ande-  
ctus natus & ante patrem mortuus, nu-  
triciis noctu suffocantis puerum negli-  
gentia. Pater mœstus, lamēntabili gra-  
uiq; oratione, quæ exstat funus est pro-  
secutus. Mox decennio post Siluium,  
& quinquennio post Andectum, na-  
tus *io epl. m.* Scaliger qui superest, pater-  
næ doctrinæ æmulus: Deinde Leonar-  
dus, anno minor; a duodecim Sicarijs,  
ad Laudunum Pictonum oppidum,  
bellis ciuilibus obruncatus est. Deni-  
que Ioannes Constātius, Iosepho quat-  
tuor annis minor; in Transilvania no-  
bilitate factione interemptus, castro  
regendo à Stephano Battorio Despo-  
ta, qui post Poloniæ Rex fuit, imposi-  
tus. Vtrique sanè fratri indoles rara &  
fortitudo, exitio fuit. Igitur & Militia  
& arthrit. de fracto Iulio, Philosophia,  
humanitatisque litteræ manum tandē  
iniecerunt, & mollibus disciplinarum  
suarum imperijs contumacem ani-  
mam subegerunt. Neque verò obstitit  
c/4-



<sup>o</sup>φίμαχτος, quin quod alij longo tem-  
 pore, ille pertinaci labore assequere-  
 tur: quamuis ante quadagesimum se-  
 ptimum ætatis annum nihil ediderit.  
 Quo factum vt eodem tempore, cum  
 in Gallia primum, Francisci Magni  
 Regis beneficio, existere tanquam è te-  
 nebris litteræ cœperunt, nemo eo neq;  
 plura, neq; ediderit meliora. Quæ om-  
 nia bellis ciuilibus cum domestica su-  
 pellectile direpta, ferè interciderunt.  
 Quæ tamen in apertum viuis retulit,  
 eamox per Saturam commemorabo.  
 Quoties morbus vsu ei scribendi ad-  
 emerat, Carmina pangebatur, quæ post  
 die dilapsa salutantium turbam, dicta-  
 bat Iosepho filio, ea memoriæ felicita-  
 te, in extrema etiam senectâ, vt vel du-  
 centos versus sæpe dictarit. Burdigalæ  
 docti viri, quos dilexit, Arnoldus Fer-  
 ronius fuit, Attici cognomento, ob in-  
 gentem credo linguæ Græcæ peritiam,  
 & Vidus Brissacus Gallardus, vir nobi-  
 lis, In Gymnasio Burdigalensi erant  
 Buchananus Scotus, Muretus Lemo-  
 uix, & Iacobus Teuius Lusitanus, poe-  
 tæ egregij, & Theodorus Langius Ba-  
 tauus Græcarum post litterarum Loua-  
 nij Doctor. Hos frequenter Iulius Ag-  
 minum Vindemialibus ferijs euoca-  
 bat.



## IVL. CAESARIS

bat. Magna quoque eius fuit, in colligendis è vultu hominum moribus *ω*. *σοχία*, indicio potius & vi animi occulta, quam Physiognomica vanitate. Multarū linguarum peritus fuit, Sclauonicæ, Hungaricæ, Germanicæ: idiotismi Græci, Italici, Hispanici, & Francici. Sed Francicam tribus mensibus postquam Aginnum venisset perfectissimè loquebatur. Mendacium ita detestabatur, vt si quem mendacem deprehendisset, fideret nunquam, diceretque Christianum à mendacio alienum esse debere; nobile verò, etsi Christianus non esset. Atheos autem, quæ erat pietate, vsque eò auersabatur, vt etiam odisset Petrum Rufum, Aginnesem Consiliarium, hominem doctum, & in disputando acrem, iussum legere Augustinū Eugubinum *de perenni Philosophia* ceterosque hoc morbo leuauit. Quemadmodum & Antoninus, Florentinorum Archiepisc. Marsilium Ficinum, Platonice sectæ, magis quam Christianismi studiosum, ad pietatem traduxit hortatus legerit accuratè B. Thomæ Aquinatis aduersus Gentes libros. Pietas autem eius singularis, & præcipuè in pauperes caritas enituit. Sub finem Autumni, pannos quibus tege-



tegerentur emebat, & à frigoribus hie-  
 mis defendebat. Ministrare illis filios  
 imperabat, vt tanquam fratres agnos-  
 cerent. Anno demum Christi M. D.  
 LVIII. qui erat eius vitę septuagesimus  
 quintus, propter anni intemperiem,  
 valdè æstuarē cœpit. Ad æstum leuan-  
 dum succo Albatecæ, vt Hispani vo-  
 cant, vsus, ex astricta, ob cruditatem il-  
 lius vesica, languorem nactus est: per  
 nouemdecim dies ne stillam quidem  
 vrinæ emisit. Quadraginta duos dies  
 illo morbo conflictatus, licet balneo  
 refotus esset, xii. Cal. Nouembris obiit;  
 maximo omnium dolore & luctu, quę  
 in exequijs eius magnificis, (quod ia-  
 men testamento vetarat) testati sunt.  
 Cauerat etiam ne aliud vllum Epita-  
 phium extra hoc, monumento suo in-  
 cideretur:

FVLLI CAESARIS  
 SCALIGERI  
 QVOD FVIT

Vt sexennio ante Salmanticę mortuus  
 M. D. LII. Ferdinandus Nonius Pinci-  
 anus, inscribi hoc tantum tumulo ius-  
 sit, præterea nihil:

SVMVM VITAE BONVM  
 MORS.





8  
Ceterum corporis ea dignitate Iu-  
lius fuit, ut cum Euripide dicere posses  
ἴσθαι ἄξιον τυραννίδος. Certè corpus,  
incessus, gestus, oratio, stylus, nihil ple-  
beum redolent, sed maiestatem quan-  
dam, nobilitatem, magnosque spiritus  
præferunt. Scripta certè ab eo, nihil  
vulgare sapiunt: quare non quiuis at-  
tingit, neq; intelligit. Statura fuit pro-  
cera, & ad decorem erecto, regio, & au-  
gusto ore, colore fusco, an̄ibus toro-  
tis, corpore deinde militia exercitato,  
valido & agili. Oculos habuit cæruleos  
latioresque, quibus interdum noctu vi-  
debat, ut & Iosephus filius ad annum  
vique vigesimum tertium.

EPITAPHIUM AB IP SO  
compositum.

*Extulit Italia: eduxit Germania IV LI  
Ultima Scaligeri funera Gallus habet.  
Hinc Phæbi dotes, hinc duri Robora Martis  
Reddere non potuit nobiliore loco.*

QVAE PRO FECTVRAE  
animæ dixit.

*Egredere ô miseris multum defuncta ruinis,  
Egredere: & s. ruis seruilia regna relinque.*

*Alte*



Aude, hospes, tenebris horrēdi imponere finē  
Exilij, & patrie speratas querere sedes.

Tristes exuuiæ, falseque incommoda lucis;  
Isthic nunc fera turba iace, nos libera cœli  
Pignora promisso iam iam speramus Olympo.

Tu modò, nate Deo, rerū pia victima Iesā,  
Aspice nos qui cuncta animas: spes vnica: mor-  
tem

Exue morte noua, atque noua vita indue vi-  
tam.

**I V L I I C A E S A R I S S C A L I -**  
geri Opera in lucem edita.

De lingua Latina libri tredecim.

De Poetica libri VII. eruditionis ple-  
ni.

Poematum varij generis libri, & Epi-  
dorpides.

Hymnorum sacrorum in Diuos Di-  
uasque lib

Epistolæ præfationesque xcvii.

Orationes variæ, Funebres ii. in luctu  
Audecti filij, & de ijs qui bello Tur-  
cico ad Viennam ceciderunt.

Contra Poeticæ calumniatores De-  
clamatio.

De laudibus anseris fragmentum.

De verbo **I N E P T O** apud Cicero-  
nem.



Pro M. T. Cicerone aduersus Erasmi  
Ciceronianum.

Exercitationum exotericarum lib. xv.  
aduersus Hieronymum Cardanum  
*De Subtilitate.*

Commentarius in Theophrastum siue  
Aristotelis est *De Plantis.* & alter in  
Hippocratem *De insomnijs.*





# IVLIVS CAESAR

SCALIGER OPTIMIS

Adolescentibus S. D.

**Q**UID in pröptu magis futurū fuerit, nescio, admirarīne audaciam eius, qui cum & nominis obscuritate, & eruditionis inopia premerer, ausus sim tamē oratoris nomen profiteri; an irridere stultitiam, qui aduersus receptam de Erasmo opinionem, ad scribendum animum appulerim; an ignauiam stomachari, qui tanto post tempore hanc ediderim orationem. Ceterū si quis veterum consilia explorata habeat, nequaquam, opinor, is mihi vitio vertet, qui in luce vestra nomen meum illustrare tentarim. Fecerunt id complures olim veterum adolescentēs C. Cotta, & C. Caesar, is qui postea Dictator fuit: aliquotque fæminis causas attitasse, nequaquam turpitudini adscriptum fuit. Erasmus verò maledicendo malè audire meritus est, vt sibi non dictum, sed responsam putet. Ea merces est laceffentium, vt par eis gratia referatur: presertim, cū ille non errorum odio ad maledicendum, sed maledicendi studio ad errandum descendit. Quod verò ad tertiam instituti mei par-

Sueton.  
in Cæs.



Agennū  
Aquitaniae opp.

proce-  
mium.

tem sp. Et, quo consilio haecenus orationem illam edendam distulerim, nemini admirationi esse debet, qui, quibus in locis, quibusque temporibus, quaeve inter gentes agam, comperit habuerit. Agennū oppidum est Aquitaniae, ut incolae dicunt, princeps. Ceterum neque historiarum, neque ullius memoriae fide, et fama illustris est. Nominis umbra modo Ptolomaeo, & Plinio, si tamen Agesinates iidem sunt, nota. Ager ubertate soli incertum est profuturum magis incolis, an officiat; ita annonae spe suspensi omnia munia, non civilia solum, sed rustica quoque negligunt. Propterea animi cultui minus student. Si quis tamen ad literarum studia sese applicat, lucro illectus agitur eam in partem, cuius ope fortunarum suarum promoveat gradum. Id unum hic intuemur, ut acceptum patrimonium ampliore censu faciamus. Praeinde ita cum animis vestris reputate, quo in statu res meae sint. Namque ne unus quidem liber venalis habetur, praeter Iustiniani provenitum, & Grammatices rudimenta, per octingenta amplius miliaria ab extremo usque orbe mihi petenda fuit interdum bibliotheca, Basilea, Florentia, Venetijs atque Roma. Quibus libris fac me opulentissimum. Qui



cum tamen conferam caput miser? aut unde  
 quicquam petam praesidij? tanta literarum  
 hic vastitas, tanta est solitudo, ut in hac infe-  
 licissima orbitate, vix mihi sex abhinc men-  
 sibus dialogus ille nefarius allatus sit, tan- Cicero-  
 to serius quod Erasmi opera impietatis nianus  
 damnata publicis vestris suffragijs, etiam Erasmi.  
 addito impuritatis elogio, sciebamus. Quam-  
 obrem mercatores, qui huc commeant, vel ad  
 nomen Erasmi exhorrescebant. Quo factum Erasmi  
 est, ut ad eius opera comportanda nequaquam nomen  
 exorabiles fieri possent. Quo vero tempore  
 in manus meas inciderunt, incredibile dictum  
 est, quam pestilentiae fluctibus iactati fre-  
 quenter alias super alias sedes mutare coacti  
 simus. ubi vero per caeli temperiem primo,  
 mox autem per Saturnaliorum otium mihi  
 licuit, credidi meipsum huic tempestati. Cu-  
 ius impetum minus mihi pertimescendum  
 duxi, qui vestrum praesidio munitum me sen-  
 tirem, quos semper omnium bonarum artium  
 studiosissimos intellexeram, omnibus Barbarie  
 infestos aequè iudicarem. Quod iudicium meum  
 si re ipsa comprobabitur, opto adolescentes, multa  
 nobilia atque praecelara opera, quae in manibus  
 sunt in praesentia vestrae in remp. literariam  
 pietati dicata consecrataque dabo. Valete.  
 Ex Aogenno Id. Mart. 1531. Iulius Caesar Scal.



## IVLII CAES.

## SCALIGERI ORA-

TIO PRO M. TULLIO CICE-

rone in Ciceronianum

Erasmi.

*Exordiu.*

*Cic. initio  
Tusc. 1. &  
in Ver.*

I quantum veteri foro, prif-  
cisque iudicijs cuiusquā bo-  
ni viri defendendis alienis  
fortunis, capitisque discrimi-  
ne depellendo, valuit eloquentia, tan-  
tum apud vos, optimi adolescētes, ho-  
dierna die posset illius viri gratia atq;  
memoria, qui eadem opera, summa vi  
atq; industria multos defendit, nemi-  
nem vnquam læsit, iam mihi ipse hac  
in caussa silentium indixissem. Ea-  
nim vitæ præstantia, ea dignitate fuit,  
vt vel recordatione ipsa aduersus calū-  
niatorum improbitatem apud vos tu-  
tus esse debuerit. Ceterum cum nullius  
meriti vestigium tam firmum, tamque  
inconcussum sit, quin temporis lon-  
ginitate atq; vetustate aboleri possit,  
verendum fuit, ne recentis calumniæ  
acerbitate præstantissimi viri vetera  
merita opprimerentur. Cum enim nō  
de fortunæ bonis, quæ amissa recupe-  
rari



rari possunt, sed de *M. Tullij Ciceronis* nomine atque dignitate agatur, quoniam ipsi propter fati, cui concessit, necessitatem pro se causam dicere minime licet; quanquam & huic, & cuius provinciae imparem me atque indignum, cuius viribus res haec committeretur, agnoscebam: ita me comparavi tamen, ut quod eloquentia non poteram, officij saltem nomine adumbrarem. Atque hoc quidem novum iudicij genus ex aduersariorum acerbitate natum est. Nam cuiuspiam fortunas, dignitatem, salutem, accusationibus oppugnare: etsi est inhumani viri, nequaquam tamen ab usu civili penitus abhorrere visum est. At extincti iam viri manes, quibus etiam tumulorum marmora veniam, quietemque precamur, excitare, in eaque nominis reliquias, a quibus temporis iniuria abstinerat, quibus fortunae petulantia parferat, quas gratissima posteritatis memoria consecrarat, ita inuadere, ut neminem responsurum sperarent, id vero extremae fuit crudelitatis. Ac tamen si neminem minus decet aliquam suscipere causam, quam eum, cui propter ingenij praestantiam, accuratam industriam, dicendi usum atque exercitationem, aut id delatum non sit,

sit,



sit, aut ipse sibi non sumpserit: tamen  
 optima in causa, quæ aliquo fato de-  
 stituta sit ab ijs, in quibus præsidium  
 esse decebat, nemini debet fraudi esse,  
 qui sese accingat ad ea, quæ vel medio-  
 criter præstare possit. Licet enim prop-  
 ter ingenij imbecillitatem, animi leni-  
 tatem, rudem orationem, prodi potius  
 causa, atque labefactari magis videa-  
 tur, tamen quod quisque potuit, officio-  
 rum suorum debitum per soluisse, sa-  
 tis erit. Non enim naturæ vitijs ceden-  
 dum vsquequaque est, sed vel conati-  
 bus ipsis superanda. Nec si fortuna mi-  
 hi aut diuersa studia vim illam dicen-  
 di inuidere, continuò ab omni oratio-  
 ne, si bene sentiam absistendum est.  
 Non enim apud æquos iudices, quales  
 vos estis, plus valere debent orationis  
 fuci, compositique verborum appara-  
 tus, quam res ipsa, quæ vel leuissimè  
 enarrata vestram fidem præsidiumque  
 videtur implorare. Quamobrem cum  
 omnibus sæculis receptam *Ciceronis* e-  
 loquentiam maledicentissimo dialo-  
 go *Erasmus* lacerauit, neque in tantis  
 doctissimorum virorum *Academijs*  
 quenquam ad ostendendam illius au-  
 daciam, tanto post tempore, surgere  
 videam, quam prouinciam ad certos  
 homi-

**Proposi-  
 tio.**



homines votis atque animo tacitè de-  
 stinaueram, vltro suscepti, vbi si quid, à  
 me aut leuius, aut languidius inter di-  
 cendum excidisset, excitarem saltem  
 stomachum eruditiorum, quos haud  
 multò longius, quam Erasmus, à cul-  
 pa abesse semper iudicavi. Nam cum  
 eorum, quos nouimus aliquot illi exer-  
 citatione pares sint, multi eū eloquen-  
 tiæ superent, cum plurimis autem ple-  
 niore ipsa rerum notitia ne sit quidem  
 conferendus, ea naturæ munera quorū  
 magnam partem apud eloquentiæ pa-  
 tronum exercuissent, ad eiusdem pa-  
 trocinium sanè conferre decebat; cam-  
 que artem Reip. literariæ, quæ pro ip-  
 sis contra Barbariem steterat turpissi-  
 mo consilio nequaquam proderet de-  
 buerunt. Quare hanc eorum ignauiam  
 dicam, an delitias identidem mihi me-  
 moria repetenti veniebat in mentem,  
 alteram duarum rerum fuisse in caus-  
 sa, aut pudorem ingenuum, dum alter  
 alteri tam nobile munus deferret, aut  
 quod iam impiam insaniam suo im-  
 petu ruituram sperarent. Cæterum cū  
 pudoris, non iam pudor, sed cessatio  
 quædam potius dici mereatur, subij li-  
 bens id oneris, quod quanto humeris  
 meis grauius existit, tanto vos vestra  
 hu-



humanitate atque benignitate lenius,  
 & potestis facere, & debetis. Duo enim  
 hac in caussa sunt, quæ aduersarij nostri  
 sibi habent potiora, calumniatoris ce-  
 lebre nomen, & in dicēdo facundiam:  
 quorum alterum in inuidiam statim  
 me trahere facilè potest, si ipsum vel so-  
 la attigerim suspicione; altera autem  
 non mediocriter me perturbat: qua ta-  
 men in caussa, neutrum mihi apud vos  
 officere debet. Neque enim ipsi *M. Tul-*  
*lij* nomen obfuit, quin reciperetur: ne-  
 que illius eloquentiam exhorruit, quo  
 minus ipsam insectaretur, sed contra  
 tantò attentius fauere nobis debetis,  
 quanto pro maiore viro dicimus, pro-  
 que ea eloquentia cuius autorem ex-  
 tinctum esse post hominum memori-  
 am huic vni calumniatori, bono fuit,  
 quem, si viueret, ne tantillum quidem  
 tentare ausus esset. Ac quanquam ad  
 meipsum ne mediocriter quidem eru-  
 ditum, minimeque omnium Cicero-  
 nianum, quam minimum hæc caussa  
 pertinet, vestri tamen gratia, (Parifio-  
 rû optima collegia adolescentû, quas  
 doctissimos humanissimosque scio ve-  
 strum similibus fauere ingenijs,) ne-  
 que illius linguæ amarulentiam for-  
 midavi, neque calumniatorum obtre-  
 ctatio-



etationem pettimeſco. Præſertim cum  
 & tam optima, tamq̄; ampliffima mi-  
 hi materia videatur, vt modus fanè po-  
 tius fit adhibendus. Et illius optimi pa-  
 rentis eloquentiæ tanta fit apud opti-  
 mum quemq̄; gratia atque auctori-  
 tas, vt vel illo ſilentio, quod eius mor-  
 te inuolurum eſt, orationē meam per  
 ſe languentem ac rudem, expoliri at-  
 que animari ſperem. Et iſte veſter con-  
 feſſus inconcuſſo iudicio, rectaq̄; cen-  
 ſura, ſua præſentia actionem meam ta-  
 citè recreare, atque reficere debeat. Nō  
 enim metuēdum vobis eſt virus illius  
 maleuolentiſſimi hominis, cuius ama-  
 ritudine perfuſas ſacras litteras in pri-  
 ſtinam ſanitatē vendicaſtis. Neque  
 verendus animus doctiſſimorum vi-  
 rorum, qui abſunt, quorſum euadat,  
 non enim illorum præſidio deſtituti,  
 ſed cincti, non illorum ſilentio dam-  
 nati, ſed ſubleuati ſumus. Sentiunt e-  
 nim nobiſcū, ipſi quoque ſentiunt, ſed  
 alij deterriſſi calumniatoris inquietiſſi-  
 mo rapidiſſimoq̄; ad maledicendū in-  
 genio deſtitere; alios ſummo loco na-  
 tos, rerū præſentium turbulentiffimus  
 ſtatus ac moles obrutos habuit; quosdā  
 mutua expectatio dum diſiuncti loco-  
 rum interuallis alius alium effecturū  
 ſperat, feſellit. Quid igitur? egone



audacissimus? Minime: At tanto officiosior, qui nominis mei umbram cum Ciceronis salute cōmuni fortunæ obiecerim, vt quod alij effugerant, aut neglexerant, hanc tibi gratam vocem testem relinquerem tuorum in Romanam eloquentiam meritorum *M. Tulli Cicerō*: cui cum alij patriæ suæ debeant, vt omittam libertatem tuo spiritu paratam, tuo sanguine emptam, tantum debet Romana eloquentia, vt tecum extincta obmutuerit. Tuæ sanctissimæ vitæ, atque illius gloriæ idem finis fuerit. Non enim si tu viueres, præclarissima atque ornatissima lingua, in te impiæ acies distringerentur: quasque nūc diuinæ orationis reuerentia in officio non continet, terror tui fulminis castigaret. Tu Erasme cōtra intueri *M. Tullium* auderes, quo orante cecidit iræ impetus Cæsari contra *Deiotarum*? cuius toga à ciuilibus gladijs contra quos steterat, religiosè recepta est? cuius sanctissima lingua legem Agrariã sustulit, vt plebs sibi ipsi commoda detrahi pateretur, quod illi vni viro semel visum esset? cuius impetum *C. Verres*, quanquam Hortensij diuino presidio fulius, profugit? cuius obtutū modo *Catilina* imperterriti animi vir nō  
iusti-



SCAL. ORATIO. 21

fustinuit? Quem tu, si tibi scisses respon-  
surum, modestiæ tuæ rectius consulu-  
isses. Sed arrogantiam præ te nimiam  
tulisti, quando neminem tibi parem  
sperares, qui aduersum te animi sui o-  
stenderet libertatem.

Sed ut propositum aggrediar, pre-  
cor, quæsoque vos, studiosissimi adole-  
scentes, uti dum res ipsa, quemadmo-  
dum peracta est, quam paucissimis ex-  
plicatur, operam mihi benignam atque  
attentam detis. & si quid maledicti  
proficisci videbitur, non mihi sed illi,  
qui lacessiuit, ascribatis; ut non male-  
dictum, sed responsum sibi intelligat.  
Nam qui æquè atque ille loquitur, æquè  
atque loquitur audire decet. Et quanto  
se inferiorem *M. Tullio* fatetur, in quem  
maledicta iacet, tanto ipse tolerabi-  
lius in se dicta pariat.

Quæ de vitæ eius auspicijs, deq; in-  
stituto huc afferre possem, neque mag-  
noperè ad causam pertinent, optimi  
adolescentes; neque tam clara sunt, ut  
in literatorum luce, aut publicum no-  
men, aut curam nostram atque diligē-  
tiam cognoscendi merita sint. Sed e-  
gressum rædio religionis, quod nunc  
dissimulat, hæc aut illa oppida pera-  
grando, satis illiberaliter quæstum fe-  
cisse

*Erasmus  
monachus  
fuit.*





cisse constat: cum aut parasitum agere cogeretur, aut corrigendis librarijs typis diuinam operam collocaret. Ibi in Aldi academia, vbi bona pars doctorum virorum in primis versabatur, & versutissimum illud ingenium, mordaci eloquentia, linguarumque cognitione & multa eruditione animum excultum necesse fuit ab ijs exordijs cum *Prouerbiorum* librum concinnasset, quæ sparsim diuersis ex auctoribus legebantur, vt in illis rudimentis renascentis Reip. literariæ, & laboriosi hominis, & non negligentis auctoris uicem est consecutus. Quem librum postea doctorum virorum assiduis animaduersionibus castigatum, semel atque iterum interpolauit. Et tamen audet ipse vitio *vertere Ciceroni*; quod Rhetoricorum libros, quos incorruptos quidem puer ediderat, non tanquam vitiosos emendasset, sed quasi Græcorum modulis addictos, atque ob id non satis utiles; senex postea animaduertit, quorum argumētum alio modo retractaret. Quis ediderat libros tuos, Erasme, quos tu postea emendares? Quis tibi vim attulerat reuerti? Quis violentas manus iniecerat homini libero, cuius tu propterea fidem implorasti? Quare aut tunc

*Adagia  
Erasmi.*

*Calumnia  
Erasmi.*



tunc te decebat aliquando, quæ editurus esses, aptè atque compositè illustrare; aut quod tu olim feceras, alijs non obijcere, aut (quod euēire necesse fuit) leuis hominis atque inconstantis animi notam subire. Cū igitur eum librum absoluisset atq; animum illum suum inquietū Satyricis iam flatibus fluctuantem compescere nequiret, tenuit cursum quendam tam acerbe orationis, vt non solum non *Ciceroni* malediceret, sed & Religioni nostræ obstreperet, in caput ipsum arcemque Salutis nostræ **IESVM CHRISTVM**, *In Moria sua Eras-*  
*mus.*  
 inuadere nequaquam vereretur. Vbi eas mouit tempestates cum perditissimis latrunculis, temulentis; eos turbulentissimos fluctus concitauit, qui non in auctorem, vt par fuit, sed in Christianam libertatem inter cæteras miseras redundarunt. Tu istam tuam immanem eloquentiam, cuius ope victitabas, præterquam nihil sapis nisi seditiones, agnoscenti *Ciceroni*, atque iure suo repetenti adiurasti. Tu Religionē, per quam solam à bellua te vindicare potuisses, verbo insectatus es; tui ipsius exemplo profligasti. Tu de principe omnium rerum Deo nostro, per quem sempiternæ lucis haustus  
 com.



compos factus es, inter morionum tenebras collusisti.

Hic studiorum illorum ingressus, hic exitus fuit, opt adolescentes: hanc ille vitæ suæ Tragœdiam dedit, per eam immanitatem ad *Ciceronis* inuidiam gradum sibi fecit. De qua, vt amplius atq; commodius cognoscatis, ita partiar orationem meam, vt primum de ipsius consilio dicam: deinde quam non exequatur quæ proponat: Tum autem obiecta refellam. vbi nisi ostendeto tanta eum ferri cæca animi sui libidine, vt multa inter se contraria, multa falsa, omnia ex inuidia effundat, non ex cæto iudicio agnoscat, nisi quouis delatore, quouis quadruplatore, quolibet sectore peiorem eum esse mea con-

**Partitio.**

1.

2.

3.

**Erasmus  
ab Acade-  
mijs dam-  
natus.**

**1. Erasmi  
consilium.**

terit oratione: Iam verò neque tantis rumoribus, ac ne vestris quidem ipsis Academijs, quæ eum impietatis damnarunt, amplius posthac credatis. Cùm igitur id inisset consilij vt *Ciceronis* memoriam, quantum in ipso erat, tollere niteretur homo vaferrimus obliquis ac distortis argutijs, non extortis confessionibus, subscriptore subornauit, qui dicta applausu reciperet; vt quod ipse fecerat parasitus, in hoc verbo effingeret. *Dialogo*, inquit, rem tracta-

ni,



ni vt facilius illaberetur in affectus iuuenā.  
 Videte hominis versutiam, qui quoniā  
 argumento imbecillis est, orationis  
 ductu fidit. Atque ibi habet saltatorem  
 eorum affectuum ab se confictorum,  
 quorum notas in candidissimum virū  
 sempiternas inustum iri sperauit. At i-  
 dem alios viros claros fecisse dicet, vt  
 dialogo scriberent, inter quos & Cicero-  
 nem ipsum, & eius præceptorem Plato-  
 nem, quorum institutum damnare no-  
 lim. Ceterum non intelliget, qui id ob-  
 ijciet, in Academia nihil definite sta-  
 tui, sed ad vtranque partem semper di-  
 sputari. At tu qui *Ciceronem* damnare  
 volebas, accusatorem fortem, eundem-  
 que iudicem, testes de composito remi-  
 gerentes, defensorem imbecillum com-  
 posuisti, vt nulla vnquā in causa ma-  
 ior collusio fuisse videatur.

Habetis impij consilium hominis,  
 opt. adolēscētes, vt eius viri nomen  
 obscuraret, obtegeret, euerteret, quem  
 si ipse diceretur imitatus fuisse, illo mi-  
 nor videretur. Cuius nomine sublato  
 se nouæ eloquentiæ autorem, nouę Ro-  
 mæ parentem alterum Romulum, in  
 quem omnes intuerētur, quem omnes  
 suspicerent, futurum arrogantissimē  
 sibi persuasit, vt non primus inter pri-

B

mos

*Dialogos  
 qui scrip-  
 serint.*





mos virtute certaret, sed sublato eloquentiæ principe, id nomen maximè vano rumore, atque persuasione consequeretur. Stante *Cicerone*, in quem vnum animorum suorum vim, omne oratorum sæculum intendisset, sese cōtemni videbat: eo virtute sua deiecto totam fortunæ molem in se vnum conuersum iri qui vicisset. At verò illum quamobrem tam parui facis, tam contemnis, tam laceras, cuius spolijs ornatus principem locum obtinere contendis? Si tua gloria nullus eras, si sub illius umbra conquiescebas, si eius ruina tuæ magnitudinis incrementum animo concipiebas, quo tandem modo cò pugnae euentu creuisse videri vis, in qua aduersarius tuus tua prædicatione negligenteretur? Aut igitur & ille magnus vir est, & tu vanus ac mendax, quem tam acerbè insectaris: aut vt tu sis verax, & ille nihili, tu quoque haud magni vir laudis & nihili, qui tam abiectum hominē superaris, de tam nihili homine tam gloriosum triumphū post mille quingentos annos neglectum, vnus quære institueris.

2. Nō assequi quod proponat.

Venio ad alteram orationis meæ partem, in qua recepi me vobis ostensurum, quemadmodum ea vaficie ingress-



gressus sit, ut cum *Ciceronis* eloquentiam haudquaquam principem præcipuamque declaraturus esset, alio diuersus abierit. Nunc eius carpens carmina, nunc in mores inuadens, nunc reiectorum pridem calumniatorum sequens damnata vestigia, quorum tamen similis esse maluerit.

*Inani*, inquit, *gloria vexatus* ad eò fuit *κενοδο-*  
*Cicero*, ut vsque ad fastidium de se prædica- *ζία Cicero.*  
 rit. Ecce vobis quam vanus homo sit,  
 qui nos à *Ciceronianæ* dictionis genere  
 deterrere conatur, cum tamen ne-  
 quaquam (id quod pollicitus est) illius  
 infacundiam demonstrat, sed de eius  
 moribus tanquam impolitis accusati- *Phauri-*  
 onem suam faciat acriorem, quid si ti- *ne febrim*  
 bi febris incommoda laudantem ho- *laudauit.*  
 minem; quid si alterum iam *Busiridis* *A. Gell. 17*  
 immanitatem præconijs extollentem *cap. 12.*  
 commonstraro? eos tu infacundos di- *Busiridē*  
 ces, quod argumento sint foedo? Quæ *et Hele-*  
 tu clarissime *Rhetor asistata* vocas? At *nam Iso-*  
 verò cum tu *stultitiam* laudas, qui tam *crates.*  
 bonus es, tam perfectus Orator, tam ex-  
 actus *Ciceronianorum* vitiorum æsti-  
 mator, cuius tu laudes prædicas, alio-  
 rum ne an tuas? Quam tu Romam ea  
 virtute à *Catilinæ* furore vindicasti?  
 quo tu *Cōsulatu* ex immanibus bellua-  
 rum





rum faucibus patriam tuam eripuisti? Immoderatum illum appellas, non igitur vanum atque mendacem arbitraris. Displicet tibi, eadem apud alios atque alios iudices loco atque tempore suo quæque referens. At non iudicibus apud quos id agebat, quibus moderatione sua consul pro exemplo fuerat, non plebi, quam seruauerat, non senatui, cuius ordinis dignitatem scelere atque furore parricidarum labefactatam constituerat, dispiciebat, quorum patrum cum alij essent dignitate pares, nobilitate priores, æquo tamen animo illius ferebant libertatem, quoniam neque alij de illo pro meritis, ac ne ipse quidem ferè pro dignitate de se ipso prædicare posset. Sed angunt vos alienæ laudes, cum illis ipsis imparces vos esse sentitis. At ille Cato (cuius in eloquendo suspicis facultatem, quæ tamen omnium iudicio nequaquam illi prima fuit, at omnium iudicio constans animus, integri mores, ille fati victor Cato) ille Cato, qui seruitutem morte præuertit, *parentem patriæ* Ciceronem appellauit. Quod nomen apud imperatores, tanta gratia, tanta religione postea fuit, ut non Pontificijs infulis satis tecti, non tribunitia muniti potestate

*Cato Vti-  
censis.*



state fatis apparerent, nisi *patris patriæ*  
 quoque nominis splendore sancti esse  
 viderentur. sed non nimis mirum est  
 tibi urbem Romam nullius rem mo- *ROMA.*  
 menti videri, quam Cicero nullo ne-  
 gocio seruare potuerit, cuius urbis lin-  
 guæ nobilitatem tantopere euertere  
 contendis. Cui inter cæteras tui dialo-  
 gi nugas atque ineptias etiam, si dijs  
 placet, Basileam anteponis. Credo quia *Basilea.*  
 tu Pont. Max. ibi desideas, cum tu Ro-  
 mani Pontificis dignitatem, potesta-  
 tem, imperium, maiestatem, quantum  
 in te fuit, adeo detriueris, vt ea vna an- *Luthero*  
 sa fuerit Lutherianæ perfidiæ, ad eas *oua quæ*  
 intemperias atque insanias, vt sui fu- *excluide-*  
 roris non te participem, sed authorem *ret, posuit*  
 passim prædicarent. Quam rem cū nō *Erasm.*  
 eo gradu promouere videres, quo im-  
 petu eam cœperas, nihil tibi cum illis  
 post hac futurum, editis mendacissi- *Ad Argē-*  
 mis litteris simulasti, & nunc nihil mi- *toraten-*  
 rum si *Ciceronem*, de se ipso vera prædi- *ses et fra-*  
 cantem, ferre non potes. atque hoc ri- *tres infe-*  
 dicule nimis inter recte eloquendi ca- *ri; Germa-*  
 lumnias comparas, quod æqui boni- *nici.*  
 que prouinciæ consulebant, quod æ-  
 quissimo animo ferebant innocentis-  
 simi iudices, quod Roma libens audie-  
 bat, cui Romæ caput Senatus auidissi-  
 me



mè inhiabat, quod senatus princeps  
 Cato, vel illo filète, prædicabat. An tu  
 si Ciceronem de seipso nihil super ea  
 re locuturum fuisse existimares, non  
 Exquilias illas clamaturas putasti? Nū  
 tu iam, non dico Romam ipsam, non  
 Albanos tumulos, lucosque, quorum  
 Deos defenderat ab iniuria, sed alpes  
 ipsas locuturas dubitasti? At illo tam de  
 te vera tanta, totiesq; prædicante, non  
 satis id esse putarunt historiarū aucto-  
 res, quorum alij super alios, tum Græci,  
 tum latini certatim diuinas laudes in-  
 culcarunt. Quid tibi superfluo videtur  
 ab ipso dictum, quod ne satis quidem  
 dictum iudicarint ij, penes quos sum-  
 mum ius de rebus gestis conscribendi  
 fuit? Et cum illum à boni viri nomine  
 propterea submoues, tu bono viro ma-  
 ledicendo ab eo nomine non submoue-  
 beris? An quod Catilinam eiecerit, libe-  
 ros, aras, fana, Deos Penates, tanquam  
 alter Aeneas ab incendio, direptione,  
 vastitate liberarit, à sanctiss. Catone ab  
 omnibus historijs *vir bonus* prædicatur,  
 cum id se fecisse dicet, vir bonus non  
 erit? At tu cum de teipso vana iactas, cum  
 ex tempore multò probiora effutire, q̄  
 Ciceronem edidisse scribis, cum tua il-  
 la nequaquam elimata vendibiliora de-  
 plate.



deplateras, quæ omiſſis Ciceronianis  
 vulgò in manibus haberi gloriaris, cū  
 omnes bibliothecæ tibi innumeratæ  
 ſint; à quibus optima quæque deliban-  
 tem te ſuperaffe omnium non expe-  
 ctationem modo, ſed iudicium quoq;  
 profiteris; cui omnium linguarum lu-  
 mina præſto ſunt, qui omnium patro-  
 num, patremq; Ciceronem non in cu-  
 biculo potans, non in foro deambu-  
 lans, non in comitijs ambiens accu-  
 ſas, ſed edito quamplurimis exemplis  
 infando dialogo, conuellis, vexas,  
 laceras. Qui tibi ad eam rem ſatis viſus  
 es, qui ad eam prouinciam capeſſendā  
 teipſum delegaſti, tu tibi populi pote-  
 ſtas, tu tribuum ſuffragia, tu patro au-  
 thoritas fuiſti, nonne tibi vis ille vide-  
 ri conſtare, qui iam de ſtatu Ciceronē  
 deiicere poſſis, quem iam à totis ſubſel-  
 lijs ſubmouere, à toto eloquentiæ com-  
 mercio exulare cōpellas? Addit autem,  
 opt. adoleſcentes, ad eandem augendā  
 inuidiam, quod in aliquot facinorofos  
 homines liberè nimis inuectus ſit, quo-  
 niā aduerſus Piſonis & Vatini inſignē  
 improbitatē p̄veritate ſteterit, quoniā  
 Catilinæ audaciā fregerit, quoniā à M.  
 Antonij ebrietate, impudētia, crudeli-  
 tate Romā defenderit, quoniam Octa-

*Cicero in  
 facinoro-  
 ſos*



uij tyrannidem cum Reip. hostibus  
 communicatam luculentissimo suę er-  
 ga patriam fidei testimonio detestatus  
 sit, vehementem nimis virum insectā-  
 do appellas. At vero si in nefarios ho-  
 mines impune iudex animaduertit, si  
 propterea laudatur, si propterea iudex  
 est, si sororem Horatius, si Spurium  
 Melium nescio quis interemit, si in  
 immoderatam laudis cupidi adoles-  
 centis, felicis imperatoris, carissimi fi-  
 lij virtutem medio in exercitu, quem  
 ille victorem fecisset, virgas expedii,  
 securas stringi Manlius iussit, neque  
 id ipsum ei fraudi fuit, quonam tan-  
 dem pacto, verbis qui castigat malus  
 reputatur? aut quo pacto non malus, à  
 quo is reprehenditur, quem omnes v-  
 no ore laudauerunt? Arbitror pro infini-  
 ta sapiētia tua, qui totum orbem noua  
 libidine moderari vis, id tibi notum  
 esse, duas iniustitæ dici partes; vnā cū  
 quempiam iniuria afficimus; alteram  
 cū n. quis patitur, modo id in nostra  
 sit potestate, non prohibemus. Cū itaq;  
 nefando homines, iuuentutis corru-  
 ptiores, legum euersores, Deorum con-  
 temptores non compescimus, num-  
 nam boni ciuis nomē tibi videbimur  
 obtēturi? An nō si id te ginersemur ma-  
 li om-

*Iniustitiæ  
 partes  
 duæ.*



li omninò, atq; eorū audaciæ popula-  
res reputabimur? Quo tēpoie Censores  
de moribus disputabāt, nōne eorū ora-  
ratio in eos dirigebatur, quos ærarios  
postea faciebāt? vtrū tandē grauius est  
verbis modo quēpiā perstringere? quod  
fecit M. Tuill. an à tota Rep q̄ Censores  
faciebāt submouere? cū. L. Flaminium  
M. Cato ex Patrū numero sustulit, et  
Fabricius L. Corneliū Rufinū iam Cos.  
designatū, tanquā hominē furacē, acer-  
rimo scōmate taxauit, quē tibi viri ij  
vidētur facinus admisisse? At si profa-  
na vt cōtinuo gloriæ v̄to iactas, peni-  
tus aspernaris, qui tamen noua Moriæ  
numina, tanquam alteras Aristophanis  
Nubes inuehere conaris, cū in leges pe-  
ritos Redēptor noster inuehitur, cū eos  
Greco a *hypocritarū* vocabulo, tanquam  
personatos, simulatosque probuatis a-  
ctores vocat: cū Herodē b *vulpem* appel-  
lat: cū populum c *viperarū catulos* nomi-  
nat, quem in eū esse cētes? Ciceron anæ  
calūniæ participē facias necesse est, eu-  
ius impetus Ciceronianā vehementiā  
similē fuisse demonstramus. O impurū  
hominē! qui ea dānat, quę legibus pro-  
dita, quę Censuris sunt cōstituta, quę cū  
ipsa natura ab exordijs cretētis mundi  
coaluisse videmus.

B s quod

a Marc. 7.

Luc. 12.

b Luc. 13.

c Luc. 3.

Matth. 23.



quod Dominus Deusq; noster egit in-  
 fando improbitatis titulo circumfert.  
 O vanum! qui quod ipse agit alij vitio  
 vertit. Quis te vsquam amarulentior?  
 quas tu religiones infectat? nō es? Quo-  
 rum hominum ordines non lacerasti?  
 Quibus tu manib; bellū non indixisti?  
 Quibus cū laruis tēmentē lūctat? non  
 Et sunt hęc quæ cum de Eloquentia  
 referre instituisses, in mores detorque-  
 bas. At videatis, obsecro vos, optimi a-  
 dolescentes, quam frigidè simul atq; il-  
 liberaliter cætera addiderit. *Mentum*, in-  
 quit, *leua Cicero demulcebat*. Malum Her-  
 culè hominē Ciceronem, qui manu  
 mentum mulceat. Mirum nī in Germa-  
 nia mentum pedibus demulceant ho-  
 mines. Collum præterea exile atq; præ-  
 longū addit, tū tu si ita natus esses, præ-  
 cidi tibi iuberēs? Vocis obijcit conten-  
 tionem. At laterum virtutis id fuit, in-  
 ter strepitum concionū, tumultuantes  
 Quirites, vociferantes milites verba fa-  
 cturi, vt quoniā natura non solum op-  
 timū Oratorē effinxisset, verū etiam  
 bonum consulem comparasset, ea voce  
 instruxit, quæ ex vsu futura videretur.  
 in initio præterea dicendi trepidationem  
 notat, quam & minus liberalem voca-  
 re nō dubitat. Quid tu, malum, anxius  
 es,



es, quoniam illum nō tam impudentē  
nactus es atque teipsum? Accedentem  
ad Cæsarem, ad populum, ad iudices,  
pro amici capite, pro suis fortunis, pro  
salute sua, dubio euentu, quotus quisq;  
est, qui vel nō simulet trepidationem,  
id quod ipse, quę in eo fuit humanitas,  
in L. Crasso pudorem atq; animi mode-  
rationem vocat: quod tanto maiore ar-  
tificio, in orationis initio quam pro  
Deiotaro habuit, palam professus est?  
mirū enim quanto cariores sumus ijs,  
quos vel ex vultu vereri videmur.

*Trepida-  
tio Cicer.*

Habetis hic Ciceronis improbitatē,  
de quo tamen mendax sui immemor  
(id enim proprium vani hominis est)  
in Epilogo sui dialogi, *Ciceronem inter  
Ethnicos*, inquit, *virum bonum*: & si chri-  
stianam philosophiam didicisset, in  
eorum numero censendum, qui pro di-  
uis honorantur: immō verò, vt iam vo-  
bis cōstat, illius ipsius improbitatem,  
quam vt aptius cognoscatis iam ad ter-  
tiam orationis meę partem veniam,  
in qua multa ab illo in scitē dicta, mul-  
ta inter se repugnantia, coaceruata,  
multa ineptissimē obiecta, omnia à li-  
uore, nō à iudicio profecta ante oculos  
vestros constituā, quod vt q̄ facillimē  
cognoscatis, singulis obiectionibus

3. *Obiecta  
Ciceroni  
refellit.*



In epistol.  
 Erasmi ad  
 Cicero-  
 niani  
 Dialogū.

particulatim quam breuissime poterō  
 respondēbo, ortus ab initio pistolae,  
 vnde infelicissimis auibus tam funestū  
 carmen auspiciatus est, vsque ad eius o-  
 rationis calcē, in qua de Ciceronis in-  
 nocentia pessime meritis ostentatur.  
 Atq; vt inde proficiatur oratio mea,  
 nemini vnquam homini verbū aptius  
 cecidit imprudenti, quod ad omen fa-  
 ciendum accommodatius conueniret.  
 Nā cū ad amicū suum per epistolā mit-  
 teret libellum illū, ita demū suis ipsum  
 cōmodis recte cōsulturū testatus est, si  
 Horatiano praecepto cōsilijs stultitiā  
 intermisceret; *quamobrem, inquit, in er-  
 seria negotia tua, libellum hunc meum rece-  
 ptum velis:* Quibus verbis fere solis toto  
 illius orationis curriculo, licet impri-  
 denter editis, veritas ipsa fulta est. Cæ-  
 tera ficta, falsa omnia, vana, par atque  
 æquale ingenium prodidēre. Quis ex-  
 pressit tibi confessionem illam? quis,  
 inquam, Deus, quod fatum, quæ tors  
 fortuna ex orationis tuæ fronte, totam  
 infelicem tragoediam illum, qualis  
 futura esset indicauit? Atque vtinam  
 iisdem veritatis vestigijs institisses, cū  
 paulo post Ciceronis imitatione bo-  
 narum literarum interitum nimis ri-  
 diculè deplorabas, cuius lectione pro  
 Chri-



Christianis prophani simus, cum ta- *Cicero-*  
 men Ciceronianis monumentis ab in *niana uti*  
 teritu literæ vindicatæ sint, & multi *litas.*  
 Christianorum Ciceronis imitatione  
 multo eloquentius optima quæque  
 persuaserint. Nam cum omnis oratio  
 duobus constet, *Argumento & Verbis,*  
 quemadmodum idem pannus in di-  
 uersa d. stractus togam, sagum, paluda-  
 mentum, Senatori, militiue, aut Impe-  
 ratori optime conuenire potest, ita  
 verba eadem diuerso contextu alij at-  
 que alij ei æque competere: nonne i-  
 dem Cicero diuersas philosophiæ par-  
 tes, grauesque ex ea Locos tractauit? i-  
 dem in foro, idem in Comitijs, in se-  
 natu, belli, domique, in epistolis, in di-  
 sceptionibus, diuersa oratione, pro  
 rei cuiusque decoro vnus idemque Ci-  
 cero fuit. Si enim Religio nostra, vt tu  
 vis, infantia constat, ac non eximia i-  
 ptius præter cætera argumenta, sum-  
 mam eloquentiam iure suo poscunt,  
 quorsum tot tantique nostratum ce-  
 leberrimi viri, qui nulla re magis vi-  
 dentur extitisse? An non ipse Paulus, vt *B. Paul.*  
 cæteros omittam, quos tu infantes vo-  
 cas, cuiusdam veræ ac viuidæ eloquen-  
 tiæ pater atq; autor fuisse creditus est?  
 Quæ quoniã tu Ciceroni dissimillimū  
 B 7 | dicis,



*Itali Cice-  
roniani.*

*Aldus  
Manut.*

*Io. Iucun-  
dus Vero-  
nensis.*

dicis, nō meminisse videris cuiusmodi genere dicendi Cicero in Paradoxis v-  
sus fuerit, quibus in locis vnus ipse ille  
spiritus qui in Paulo ardescebat, defuisse videtur. Qui quoniam non cuius no-  
strum obtingere potest, humana opi-  
nor ope, eaq; exquisitissima, qualis à Ci-  
cerone peti pōt, nitendū nobis fuit. Nā  
quod ais aliquot Itatorū, eo sese fumo  
venditare, id tibi respōsum volūt, prę-  
stare quempiā luce atq; candore Cice-  
ronis illustrari, quam fumo tuo aduer-  
sus illā lucem atrū esse. Quod verò de  
Italico nomine male sentis, iam tecū  
placidè agā, ne me tibi ea ratiōe succē-  
sere credas. Cū tu apud Aldū præfractis  
claustris Religionis, tanquā fugitiuus  
vrsus delitesceres, cū te vino sopitū Ita-  
li hoēs, qui tecū in eadem opera, emen-  
dandis typis pernoctabant, indignarē-  
tur, cū te in mensa fociū, in acie deser-  
torē detestarentur, cū vix manibus tē-  
perarent, credo te nunc pro Ciceronia-  
nis insectari, quos tunc vlcisci non po-  
teras. Scis tibi vera hæc cani tanquā ex  
adytis Apollinis. Nam aliquot doctis  
hominibus, qui Aldi gratia illo conue-  
niebant, pro præceptoribus vsus vsū:  
qui cum tibi homini humillimo nobi-  
les, facundiam detestanti eloquentissi-  
mi,



mi, temulento sobrii; nō inuiderent, id  
 ita mihi narrabant. Quemadmodū au-  
 dio Græcorū quandam Rempubicā,  
 quæ fortasse Spartanorū sit, liberos in-  
 stituisse, quibus ebriorum seruorū spe-  
 ctacula ederent, quorum illiberalibus  
 rixis cognitis ab eodem vitio tempera-  
 rent. Itaq; si nequissimis illis seruis sub-  
 iratus es, qui tibi capulam, quo minus  
 edormisceres non permittebant, at eā  
 contumeliam Aldi liberalitate pensa-  
 res, qui te illis suauissimis comestatio-  
 nibus accipiebat. Quod si Italorum li-  
 teras, inuentiones, iudicia despicias, nō  
 princeps huius stomachi inter tuos po-  
 pulares es, sed cum Cicero in imitari  
 non vis, Barbariem quorundam æ-  
 mularis, quibus præter gentiles suos,  
 aut ciues, aut municipes cæteræ om-  
 nes sordent nationes. Quod vitium tā  
 est vestræ gentis peculiare, vt mutuis  
 insectationibus aliæ atque aliæ regio-  
 nes turpiter insolescant. & quoniam  
 inter tuam gentem tuam gentem iro-  
 diu versatus sum, quoniam vestri mo-  
 res, mihi optimè sunt explorati, scimus  
 quam Sueui cæteris, quam Vindelici  
 illis non placeant, quam Colonienses  
 reliquam Germanicam Barbaram vo-  
 cent, quam vos omnes Belgæ ve-  
 stratis

Belgæ



*Germani  
vinoſi.*

*Macrob.  
lib. 1. Sa-  
turn. cap.  
xj.*

ſtratis linguæ delitijs auerſos inceſſât.  
At non idem ſapientes viri fecerunt,  
quod tu facis: qui ita commonefecerunt  
nos, nihil in nationes integras inue-  
hendum, quod inde calumniam pati  
poſſimus; quoniam nulla prouincia  
tantum mōſtrorum alere dicatur, quæ  
non optimarum quoque rerum mater  
inueniri poſſit. Germania tota ſuper e-  
brietate male audit: at ego Auguſtæ cū  
agerem etiam cauponū filias aliquot  
vino abſtinuiſſe, neque à nobis oblatū  
recepſiſſe ſcio. Proinde ſi virtute, ſi mo-  
rum integritate, ſi facundia vales, abſi-  
ſtes à regionum calumnia, aut alioqui  
toto tibi cum orbe pugnandum eſſe  
perſuade. ſ. Italia vero quid vobis ma-  
li dedit? Nimirum *quot ſervos, tot ho-*  
*ſtes eſſe* verum eſt, quod vobis impera-  
uit ferre non potes; quod pares lingua,  
munditijs, elegantia, moderatione nō  
eſtis, ægre id fers. Nemo enim humilio-  
ri inuidet, aut obloquitur in eum, quē  
deſpectum habet. Tu igitur laudes il-  
lius detrectando, magnitudinem il-  
lam, cui impares eſtis, vel inuitus co-  
geris confiteri, id quod tibi de alum-  
no quoque illius Cicerone iniquē ſen-  
tiente æque contigit, cuius magnitudi-  
ne tamen interdum contentus, (non  
enim



enim pudore id euenire certo scio: nullus enim pudor inter sese pugnantis scribentis) tanquam æstu quodam raperis rursus in confessas, illius laudes. *Nō enim vt eloquentie, inquis, candidatos à Ciceronis imitatione deterrerem* quid enim insanius? Quos cum in calce Dialogi deterreas, nonne in epistola te iam manifesto profiteris insanisse?

Hæc in epistola: in ipso vero Dialogo, optimi adolescentes, quanto nō inuidiæ tantum morbo, sed inscitia quoque labe laborant, iam hinc constare potest. interrogati nanque phthisis ne esset an icteris, negauit vtrumq; propterea quod malum interius esset iecore. Quasi vero phthisis in iecore sit ac non totius corporis tabes iudicetur, aut icteris iecori tantum attribuatur, cum tamen à splene quoque proficisci possit. Sed fuit hoc illi peculiare, quoniam eloquentiæ persuasione quadam inflatus ineptiret, in animam induceret, Gorgia æmulatione, de quacunque re proposita luculente verba facere posse. Quare vbi ad verum rei succum deuentum est, statim præter corticem, & illum satis infelicem, nihil subesse deprehendas. Quod quanquam non est animus vagari per totam collusionē scri-

*Phthisis.*

*Erasmii  
scripta  
qualia.*



*Funus in  
Colloquijs  
Erasmii  
Dialogus.*

*Hydropij  
Species  
tres.*

scriptorum ipsius. vna enim litura sana fieri possunt, pari inscitia offendas in Dialogo, ficto simul atque impio, quod *Funus* inscripsit, vbi dubitantes medicos fingit, qui ægroto cuidã operam darent, hydrops ne esset, an tympanites. Quod si vel definitiones Galeni primoribus tantum labijs degustasset, profectò intellexisset, quantum inter audaculum rabulamque aliquem, & doctum virum interesset. Trianque hydropis genera cum faciant, ascitem, tympanitem, & leucophlegmatiam, quæ in anasarcam atq; hypofarcam diuiditur. Eodem modo stultitiam suã prodidit, atq; si ita locutus esset Cæsar, cum Ciceronem procul conspexisset, *homo esset, animal dubitauit.* Huic item non dissimile & illud deliramentum, vbi hominis partes enumeraret: *vbi cerebrum, inquit, vbi caro, vbi vena, vbi nerui & ossa, vbi intestina vbi sanguis spiritus & phlegma.* Quo loco subeat me maior risus, an admiratio, haud facile explicare possim. Rideam ne tantas hominis ineptias, qui eas artes callere videri vult, quas se nescire suo ipse indicio prodit, an admirer intemperantiam, qui summos viros inhumana, atq; illiberali rabie lacerare aggressus



gressus sit, cui ne prima quidem artium  
 elementa constant. Quamobrem sum-  
 me atque clarissime Philosophorum,  
 inter eas partes enumerandum *phlegma*  
 addidisti, cuiusmodi ratione arrisit  
 tam illud verbum, ut optimo oratori,  
 acq; ibidem prava castiganti, efficeret,  
 in quod oratio tua decresceret. Cere-  
 bro nanq; numerato per carnem, ve-  
 nasq; ad sanguinem cursum flectens,  
 quonam vento raptus, in phlegmatis  
 scopulum impegisti? An eam tu partem  
 hominis legeras, sine qua consistere non  
 posset, utranque autem bilem, quoni-  
 am ipsis agitated in Ciceronem evo-  
 mueras, cum non haberes, reticuiisti?  
 Multo vero absurdus & quod sequi-  
 tur. *Terra*, inquit, *nunquam vertitur in*  
*ignem*: cum tamen id quod Philosophi  
*Symbolum* appellant utique communis  
 siccitas sit, quare altera qualitas alteram  
 facile praeuertet. Neque haec ego ani-  
 maduerto, tam ut ostendam te omnis  
 solidae Philosophiae ignarum (id enim  
 doctissimo cuiq; iam persuasum est)  
 quam ut intelligant optimi adolescen-  
 tes, nihil esse te vno insolentius, qui in-  
 tra tam angustos, tam inopes inscitiae  
 tuae fines, tam claras, tam opulentas o-  
 pes Ciceronis atterere tentaris.

Sed



Sed ut ne te extra limites tuos, hoc est, vulgarium studiorum deprehensum, nimis inhumane vexari calūniaris, veniamus ad ea capita in quibus humiliori opera, iudicij pari prauitate peccasti. ut enim Ciceronē nequaquam Oratorum principem ostendere videris, mali Poëtę nomen ipsi imponere molitus es, idque argumento illius carminis *O fortunatam natam me cōsule Romanam*, quoniam altero verbo eadē syllabę repetitę excipiuntur. Qua calūnia nihil absurdius esse potest. An tibi propterea Vergilius malus poëta videtur, quoniam soluta oratione minus valuisse dictus est? an tu Homero poëtę nomen adimis, quoniam causas nō actitavit? At idem est malum oratorē Ciceronem dicere propterea quod inuenustum vnum versum effinxit. Age vero si oscitanti tibi, mea diligentia constiterit, optimos poetarum id factitasse video, quo in luto hæreas, cum cogaris aut damnare quod probas, aut probare quod damnasti. Qualis tibi videtur Horatię poëta? scio enim quid respondeas: id, opinor, quod tuo Dialogo professus es, tibi vnum illum præcipuumque semper habuisse. At is in primo libro sermonum eodem aut

*Cic. poeta  
an malus.*

*Affecta-  
uit id Ti-  
bullus, ut  
Muretus  
observa-  
uit, in  
scholijs.*

erro-



errore, aut virtute, aut licentia, vsus de-  
prehendetur. Ita enim scriptum reli-  
quit: *Cum dicas esse pares res*. Vides Eras-  
me, quo demētiae progressus sis, vt tui-  
ipsum poeniteat. Nam quo auctore tibi  
ipsum ignosces, tam amatū hominē im-  
probanti? Si enim Ciceronem accusas,  
Horatium quoque accuses oportet. Et  
si Horatium damnas, teipsum quoque  
damnes necesse est: quo te vno meri-  
tissime damnato. Ciceronis innocen-  
tiam omnium suffragijs absolutam vi-  
debimus; quanto minus Cicero Ora-  
toris nomen adimere tibi liceat, qui Ci-  
cero idem peccauit in poësi, quod in  
Homero nemo reprehendit, Prælegi-  
sti aliquando, opinor, iuenculis ado-  
lescentibus Homeri Odysseam, in cu-  
ius libro decimoquarto ita scriptum  
esse te oportuit meminisse ἐνθεν ἰλῶν  
ἴδ' ἐνεικε καὶ ἀμφοτέρων ἱέρωσιν εὐσων μί-  
θου Μέντι. Sed & tantum abest, vt id ab-  
surdum sit, vt operose quoque ab anti-  
quis quæsitum videatur. quid enim est  
*mortem mori, quid seruire seruitutem, insa-  
niam insanire, nisi idem verbum repete-  
re? quid est meme, sese: quantum quantū,  
qualis qualis, vbi vbi:* at id non solum vi-  
tiosum non est, sed ornamentum quo-  
que affert orationi. Terentius vero au-  
ctor

Horat. 1.  
ser. Sat. 3.

HOMERUS  
Odys. 14.

Terent. in  
Eunuch.



ctor ille politissimus in Eunuchi pro-  
logo nō iteravit modo, sed vsq; ad ter-  
tiam quoq; vocē repetiuit *nescisse sese.*  
quamobrem quod & tui auctores fece-  
runt, & decorem affert orationi, & Te-  
rentius minimè omniū improbandus  
auctor non refugit, cum quasi vitium in  
Cicerone reprehendas, & tibi ipsi onus  
imponis, quod in alios reiectum vole-  
bas: & cum tota lingua Latina, quæ id  
affectarit, vni tibi omnium confligen-  
dum. Non erit igitur fraudi ita loquen-  
ti Ciceroni, quomodo cæteros quoq;  
locutos videmus ita, vt inter artis præ-  
cepta, id quoq; retulerint. *Paronomasiam*  
enim appellat cum omnibus antiquis  
Plutarchus, ex Homeri versu illo τῶν  
ἡτοὶ πρόδοθ' ἑοὺς ἦγε μόνευε. Quan-  
quam non tam fuit lancinandus ver-  
sus ille, quoniam prauus videretur, quā  
quod te in vltiores ineptias coniece-  
rit. Nam cum ad Brutum scriberet ita  
Cicero: *Res mihi inuisæ visæ sunt Brutus;*  
Ex illo versu, ad hoc quoque irriden-  
dum prouectus est miser, quo tamen  
lepidius, argutius, falsius, quā tum fert  
stylus orationis, nihil profectò potest  
excogitari. Veteri namque primoque  
significatu dictū fuit *inuisum*, quod mi-  
nimè videretur, propterea quod aut  
absens

*Parono-  
masia.*

*Vide  
Quintil.  
lib 9. c. 3.  
Inuisum  
pro non  
visum.*



absens oculis non subijceretur, aut eorum potestati nequaquam obnoxium esset, cuiusmodi res sunt corpore carētes, corporaq; ipsa sed trāslucida: Omnino verò quæcunque nullo colore illustrarentur]. In eam significationem ita locutus est Cicero, in oratione quam super Aruspicum responsis habuit. *Non inuisa, inquit, solum sed etiam inaudita sacra.* Promoti deinde molliori loquendi consuetudine, fines huiusce significationis, ut quoniam ea quæ videre nollemus nos, de rerum natura ut tollerentur expeteremus, animi eiusmodi motum atque affectum secutus nouus vsus significandi. Scribenti itaque ad Brutum Ciceroni, oblatae erant oculis res, quas propterea ab se visas esse dicebat, quæ tamen cum non sine stomacho videri possent, iocatus est in ambiguo, easque quasi contrario sensu simul *visas inuisasque* vocauit, quoniam odiosæ atque non videndæ viderentur. Iamne vides, Bataue, quantum inter tua venena, & M. Tullij suauissimum leporem interfit? quam non eo penetraueris quo ceteros prodire prohibebas? quam tibi eæ res veræ utroque modo inuisæ sint? Atque hic verò vix continere  
me



*Duo Mo-  
lossi con-  
tinui.*

me queo, optimi adolescentes, te tantū  
calumniatorem, tam nobilem rem i-  
gnorasse. *Duos, inquit, Molossos ea clausu-  
la non recte coniuatos offendimus: Quem*  
tu hic reprehendis? Ciceronem ne? an  
alios omnes? an te ipsum? Nam si vllū  
scriptorum genus, vlla lingua, vlla æ-  
tas omnino reperiatur, apud quos duo  
Molossi aliquando nō continuentur,  
iam abdicem me ab omni lectione. sin  
tibi quaternos, quinosque probatissi-  
mis ex auctoribus eruam, tum tui ani-  
mi impotentiam, tuam inscitiam vel  
ab ipsis Manibus detestādam sciamus.  
Quo in loco ne videar vanā in ipsum  
calumniam detorquere, dum aliquot  
loca recenseo, quæso ob eas nugas ne-  
quid mihi vitio vertatis, optimi ado-  
lescentes, sed hominem illum totis suf-  
fragijs à vera prudentia & moderatio-  
ne excludatis. Quid est, Erasme, in Te-  
rentij Adelphis, *Cyathos sorbillans paula-  
tim?* Nōne hinc duos Molossos aduer-  
sus tuam temeritatem excitare possim?  
Nōne Cælius quem Ciceroni parem  
statuis, aut anteponis, ad Ciceronem  
scribens iratum se tibi dicet, quem ca-  
lumniaris. *ostenderunt planè esse, inquit,  
quod fieri posset.* Agnoscitur apud tuum  
Cælium, quod tuum non est, at Bruti  
tamen



SCAL. ORATIO. 49

tamen est, ad Ciceronem scribētis, ita:  
*Consulibus sublati sperent se conualescere*  
 posse. Ad Cæsaris est initio sexti Cōmen-  
 tarij, cūm dicit: *multis de causis Cæsar ma-*  
*iolem Gallie motum expectās.* At est Quin-  
 tiliiani, qui nusquam incomposita ora-  
 tione fluere abs te dicitur. ita enim in  
 sexti proœmio scribit *acerbissimis raptis*  
*fatis felix decessit,* quam mihi gratiam  
 referes velut psittacum hæc te docenti  
 citra plagas? Vidēs enim quāta aucto-  
 rū vrgeris mole, quantum tibi doctorū  
 virorū obiectē. Quod si tibi etiā multo  
 maiorem Molossorū numerum edam,  
 quem tibi pallorem incutiam? Quantū  
 tibi perfricāda facies ista tua est, vt im-  
 pudens esse desijisse videaris? Initio e-  
 nim statim operis præsto cuius est etiā  
 vna syllaba amplior, quam quot Cice-  
 ronem damnas, cum inquit, *tamdiu pau-*  
*pertati, ac parsimonie honos habitus.* Quis ti-  
 bi videtur orator Plato? non, opinor,  
 malus, at in Timæo ita scribit *ἐσχάτας*  
*οικήσεις εἰληχότῳ.* Ad Dionem autē  
 etiam vsque ad tres inculcauit. *προση-*  
*χει,* inquit, *πλεόν ἢ πάδων ἢ ἄλλων*  
*ἀνθρώπων διαφέρει.* At Demosthe-  
 nes in oratione aduersus Timocratem  
 ei numero etiam vnam syllabam ad-  
 didit.





didit. ἀχυροῦ οὖρον, inquit, ἔδεισαν  
τὴν βυλὴν ποιῶν τετράποδων. Ver-

Virg. 7.  
Aeneid.

gilius aut etiā quatuor simul congeffit  
eo versu: *Aut leuis ocreas lento ducunt argē-*  
*to, quē auctore etiā si solū habere, etiā si*  
*vnus id fecisset, tantum abest vt abs te*  
*damnari possit, vt nō tibi soli, sed om-*  
*nibus seculis scribendi rectas leges sa-*  
*nare potuerit, cui tui vni homini Italo*  
*neminem vllum habeas quem compa-*  
*res, & tamen tam vitiosus est, ac multo*  
*magis quam tu vis Ciceronem videri.*

Isocra. in  
Panegyri.

Quod si Isocrates, omnium Oratorum  
elaboratissimus, ea oratione cui decen-  
nij laborem, operam, iudicium, cultū,  
acceptum ferebat, iustam commatis  
magnitudinem cōtinuatis longis syl-  
labis compleuit, non video quid in  
caussa sit, quo minuste esse extremae  
atque profligatissimae impudicentiae  
hominem fatearis. In Panegyrico e-  
nim ille ita scriptum reliquit: ζε-  
νίας ἀνανεώσα δὲ, καὶ κενὰς ἄλλας ποι-  
ήσα δα, καὶ μήτε τοῖς ἰδιώταις. Sed  
quoniam aduersus omnium aucto-  
rū ordines petulantissima procacitate de-  
bacchatus es, quoniam omnes nihili  
facere consueuisti, omissis ijs omnibus,  
quos contempnis vnū tibi adducam,  
cuius



cuius tu censurā, præter cæteras vnā atque ad eò vnicam admiratus es semper. Nosti excellentissimū omnium virum quendam Erasinū nomine cuius fascibus vniuersa auctorū legio genua summittunt? cuius nutū horrent Religiones, cuius Censura sacræ institutiones expauescūt: Is aliquot edidit Dialogos mirificos, quos, opinor, te non legisse: atq; inter cæteros vnū, quem *Funus* inscripsit, in quo ita scriptum fuit: *liberū dati dextris egroto iurant se seruatuos quod recipissent.* Quem verborum contextum cum legerem, tanti viri iudicio impudentissimam sententiam tuam statim jugulatam sensimus. Videtis animi vestri oculis, os illius, optimi adolescentis? videtis supercilium? iam hinc colligite bacchantis temeritatem, vnde orsus est struere insidias in vestram eloquentiam: Quos cum vereretur ne se anteiretis, conatus est retinere inter inopias quasdam febriculosarum literarum, quo defraudatæ spei vestræ, atque posteritati semper admirabilior videretur, atque his quidem paucis contentus fortasse satis esse potes, Erasme. At si iam docuerim, te tua illa ferula dignum, magister; quantū stomachi doctissimorum adolescentum aduersus te

Erasmus



sus te commoueris. Duos enim cōmit-  
 tis errores: vnum te viro qualem profi-  
 teris indignum, alterum vel puerorum  
 rudimentis notum. Nam verbum hoc  
*inuideo*, primam syllabam correptam  
 habet natura, secuta pristinum ingeni-  
 um praepositione, quæ abs se composi-  
 tæ dictionis initium cōstituit, positio-  
 ne autem subeuntis Aeolici elementi  
 longa fit, vt carminibus seruiat. Cæte-  
 rum soluto sermone ita loquebantur,  
 vt non minus omnium syllabarum  
 quantitatem cognoscerēt, siue dictio-  
 nem inchoarent, siue clauderēt, quam  
 nunc nos medias mensuramus accen-  
 tibus. Atq; quo pacto in voce *tenebras*,  
 media correpta intelligitur ipsa pro-  
 nunciatione, quanquam est positio-  
 ne longa, ita in hac dictione *inuisse* primā  
 breuem pronunciando sentiebāt, quo  
 minus Molossi quantitas expleretur. Id  
 quod tu cum nequaquam dignoscere  
 possis, tanto te infeliciorem agnoscas  
 necesse est. At id dignoscebat Cicero  
 quæ abs te consultū oportuit, vt digni-  
 tati tuæ consultū esset, *infelicē* enim &  
*in somē* primā natura pducere scripsit,  
 atq; super ea re aurium iudicium ad-  
 hibendum. Sono igitur & pronuncia-  
 tione id deprehendebatur. Eandē autē  
 quan-

Cic. in O-  
 ratore. &  
 Lipsius  
 li. de pro-  
 nunc. ling.  
 Lat.



quantitatē ei præpositione attributā,  
 quoties eiusmodi nominibus cōpone-  
 retur, quæ ab eisdē inciperent elemen-  
 tis. In cæteris aut corripit, at te hoc ne-  
 scientem ferre quidem possumus; quæ  
 verò nescis tractantē, non possumus,  
 quod aut multò inscitius iudicasti, id ne  
 pueros quidem nostrates latet, cū arbi-  
 tratus es verbum hoc *sunt*, producta es-  
 se quantitate, quod tamē non alterius na-  
 tura est, quam cōpar eius *sumus*. Non e-  
 nim quomodo *felix* spondæus est, *salix*  
 erit iambus, sed illud natura tale est, hoc  
 aut positione. natura aut Pyrrichius,  
 quemadmodū & *dux* vnico tāto tēpo-  
 re efferetur, *lux* aut duobus. quæ, si ne-  
 scis, iam cōperies apud oēs Grammati-  
 cos, tū veteres, tū etiam vetustissimos.  
 At si tu aut incuria, aut etate, aut animi  
 vitio, aut vino occupatus minimè me-  
 ministris, aut nō didicisti, qualis esse de-  
 bueris, facilis ostēdis, quā quātus debuisti.

Atque hæc quidem quot quantisque er-  
 roribus inuoluto exciderint satis clarū  
 arbitror: quæ verò per inuidiam quo-  
 que insectatus est, quæ vanissime fin-  
 xit, quæ inter se pugnantia dixit, iam  
 hinc sigillatim breuissimè recensebo,  
 atque vt inde exordiamur per initia Dia-  
 logi, Dauum se acturū pollicetur. quo-  
 quidem



quidem ingressu falleris Erasme, si te seruili ingenio vtentem propterea impune laturum arbitraris. Quamobrem cum fabulam fingas, nihil mirum est si in turpissima persona ita scripseris: *Quis non malit apud posteros Ciceronianus quam sanctus celebrari?* Idq; per interrogacione scelus tractat, vt vehemētior videatur, aut quasi pro confesso habeatur: cū frigidissimus tamen futurus sit, si quis ita respondeat, *nemo*. Quamobrē eodē tenere cætera quoq; fingentem alienas rationes sine arbitris putantem, pro animi sui libidine mentientem facile animaduertetis. Fingit enim Ciceronis imitatores septem annos totos ab omnium libris præterquam à Ciceronis lectione abstinere: cum tamen in Bruto inter cætera Ciceronis præcepta, id quoque obseruent, quo vel Catonē legendum probent, qui iam ob antiquitatem sordescere videbatur. Parimendacio, & illud eum Ciceronis imaginem nostratum sanctorum hominū imaginibus potiore haberi, quoniā aliquot viri docti Bibliothecæ parietibus affixerint, Lucianum suum imitatus, qui & veterum Poetarum abacos venales ineptis fuisse dicit, super quibus illi scriptitarint. Sed si tua imago circūfertur.

*Antiqua  
xij.*

*Imago Ci-  
ceronis  
& statu  
arū vsus.*



fertur, si complicitis tui Lutheri os illud  
 impudens frequētes tabellas foedavit,  
 si vos furiaē habetis vmbra-  
 rū amatores, qua tandem ratione ean-  
 dē gloriam præstantioribus inuidetis?  
 An nō propterea à maioribus nostris,  
 statuaē quasi virtutum præmia quædā  
 institutaē sunt, quarum recordatione  
 posterorū animi parem ad virtutē in-  
 flammarentur. An non Themistoclis  
 animum ad ea præclara facinora, qui-  
 bus totam Græciam seruauit edenda,  
 Miltiadis trophæum excitauit? Cuius  
 memoria impetum suum identidem  
 vellicari, morderique ipse palam con-  
 querebatur. Quid sibi volunt funerea  
 pompa auorū prælataē imagines? quid  
 sibi volunt aliud, quam renouari præ-  
 claram eorum memoriam, quæ tem-  
 poris iniuria obnoxia intercidere? Cu-  
 ius rei cum Ciceronis imagine admo-  
 neamur, & illius virtutē imitabimur,  
 & pari exēplo fluxā nostri memoriā lu-  
 culentis stabilitam monumentis insi-  
 gniter propagabimus. Eadem quoque  
 vanitate multò maiora ludibria effu-  
 dit, noctem intempestam à Ciceronia-  
 nis eligi ad scribendum. Atque i-  
 bi homo facetus maluit scurriliter  
 mentiri, quam vera dicere liberaliter.

*Sallust. in  
 Jugurt.*

*Cic. 4o  
 Tusco.*



Quare toto deinceps sermone ludos facit, cubiculū eligi procul à vento, strepituq; ciuili, intus picatū, gypsove circūlitum vnde etiam muscas ipsas tanq̄ alter Domitianus eiecit. At tu sperasti tui similes cubicula nos habitare, lignea, rimis hiantia, quæ pice aut gypso sint obstruēda, nos eam iniuriā si time-rem⁹, si tā delicati essem⁹, vt rusticitati tuæ displiceremus, iā istud parietū firmitate consequeremur. Et tu nequaquā tam rudis es Italicarum urbium, quaiū structuram nō ignoras quam mendax effictor quarundam fabularum, quibus omnes de tua fortuna metiris.

Ex astrologia quoque ibidem sumi tempora mentitur, quasi verò nō quædam tempora feliciora sint si vacet, & si nō vacet inducias petamus. Hæc tu cū frigus à Ciceronianorū cubiculis ac ap-  
norum beneficio sine fumo amoueres, à tua famosa oratione non amouisti. Quid enim frigidius q̄ tam bardū, tam plumbeum humanum genus putare, in quo quis adeò auerso Genio fuerit, vt codicem repetiturus hodie, per epistolam triennio aut septennio elaboratam id agat? At quam fingebas fabulam, eius argumentum verisimile faceres, saltem nos oblectares, ista tua  
mimica







*Ennius  
poeta.*

*Antibus  
barbaros  
scripsit E  
ras.*

autem tergeminus Gerion esses, cum  
que ex Platone tibi stimulum ad scri-  
bendum comparare diceres, qui in-  
genium mero accendi scribit. En-  
nij carmina, tanquam heluonis cui-  
spiam, vinum olere dicis? quæ ipse  
Scipio tantus imperator, tam grandis  
orator, tam moderatus ciuis, tam frugi-  
vir, admiratus est. Vnde carminis sui  
maiestatem singularis atque diuinus  
vir Maro auspicatus est. Ennium rei-  
cis, Horatium ebrium dicis, Ciceronẽ  
de hominum memoria tollis, obsecro  
te, optime Romule, aut si mauis Ca-  
mille, quale regnum remvepub. litera-  
riam nobis instituis? aut quam collap-  
sam restituis? En qui signa vestra, Qui-  
rites, vnus tellat, qui solus aduersus  
Barbariem ferat, immò verò in Barba-  
riem, non vt eam destruat, sed vt ea vo-  
bis contaminatis multò minus tur-  
pior sit, cum tot excellentia ingenia  
eadem labe maculata similia sibi ha-  
beat, immò verò præsidijs vestris deie-  
ctis, exauctoritatis veteranis, supposi-  
tis alijs aquilis, nouas Barbarorum  
mercenariorum conscribat legiones,  
quarum ora vobis aut ignota sint, aut  
non sine valida pernicie innotescant.  
O monstrum! Quo enim te alio appel-  
lem.



lẽ nomine, qui rerum naturam cõfundis? Si tu rectẽ loqueris atq; id Ciceroni in primis debes, quid alios deterrebas? Si eo te fortuna impulit, voluntas exercuit, liuor confirmavit, vt purissimos fontes haustos pro tua libidine lutosissimo veneno contaminares, corrumperes, quare vis in eodem hæere cœnostudiosos? Vix possumus possumus quantum quantum valemus Romani esse indicẽdo, cum in illũ omnium oratoriorum luminum fontem intuemur. Quam inique nobiscum agatur, si ad inferiorum, humiliorum, nequiorum exemplũ nosmetipsos comparemus? Si nãque, q̃ insimulas, imitatores semper deteriores esse necesse est, vtrum præstat optimo cuique secundum esse, an tui simili deteriolem?

*Dilemma.*

Quamobrem, humanissimi doctissimiq; adolescentes, quam odiosẽ, quam inique agat satis perspicuum esse arbitror, qui omnem limam tollat, omnem industriam in scribendo irrideat, omnibus illudat, insultet, abortus potius laudet, quam foetus veros, exponi malit quam tolli, aliq̃ negligi quam erudiri, exercitari, ad honestissima quæque prouehi. Hi sunt vestri foetus Erasme, in quibus paren-

*Festinatio in e-*  
*dendo.*



*Immatu-  
rasun: E-  
rasmi scri-  
pta.*

parentum facies legitur, si inuerecun-  
di, si impudici, si petulantes, si manci,  
mutili, inepti, luxuriantes, immodici,  
vani, futiles, illiberales. Id quod si tu ani-  
maduertere instituisses neque id tu face-  
res, qui antea edis quam exaraueris, neque  
alios qui idem non faciunt, irrideres.  
Quo fit ut & scripta tua imprudentia,  
impudentiaque plena sint, & publicis  
doctorum virorum sanctissimis doctissi-  
misque collegiis aliquoties damnata.

*Tarde  
scribere.*

Nocte una eaque praelonga à Cice-  
ronianis vix vnam periodum absolui  
mentitus est, quod quam falsum sit, sa-  
tis patere arbitror. tum ex ipsius mori-  
bus, qui tam vana texere solus est, tum  
ex aliorum mendaciorum quae depre-  
hendimus lineamentis. Quanquam,  
optimi adolescentes, quid damnat hic,  
quod Euripidi maximo poetae laudi  
datum est? qui quarto demum die ver-  
sum vnum absoluerit. Cum enim vni-  
uersam posteritatem de nobis iudicium  
daturam pro theatro habituri simus, in  
hoc intendit animi vim nobilissimus  
poeta, qui tot annis pauca admodum car-  
mina absoluta dedit, qui Aeneidos di-  
uinum opus, quod ipsi vni adhuc indignum  
vestris auribus videbatur, comburendum su-  
prema voluntate iussit. Iam clamat Horat.  
nonum.



onum vsque in <sup>num</sup> ~~num~~ premi debe-  
 re: iam ea laude Smyrnam vnam one-  
 rat Catullus tam politus auctor, tam a-  
 cer iudex, quam ille futulis impostor.  
 Quid ego innumera, nota nimis con-  
 culcem? Sallustijne elaboratissimam  
 orationem? an Isocratis Panegyricum?  
 an Demosthenis conciones, aliaq; scri-  
 pta, quibus præter lucernæ odorem e-  
 ius inimici nihil obijcere potuerunt?  
 Atque ea calumnia tanquam victore  
 xultans cum tripudio concrepat. *Bata-*  
*ui, inquit, oratoris Colloquia vulgo in mani-*  
*bus habentur, elaborata hæc Ciceronis non*  
*habentur.* O Bataue: nempè ex Germano-  
 rum nutu nunc totius Galliæ lumina  
 literatorum pendent. An non quatuor  
 febriculosi pædagogi suæ imbecillita-  
 tis conscientia ducti, Terentium omi-  
 sere, *Colloquia* tua, etiam publicis dam-  
 nata suffragijs, si miolis suis legunt? An  
 tu quod vulgi manibus sordetis, ascri-  
 bis precio. at non tuo exemplo auctor  
 Aesopicarum fabularum superbit, qua  
 si Vergilio non cessurus, & is tamen  
 pueris prælegitur, non Horatius, non  
 Sallustius. Nam solidiores auctores, e-  
 quorum penu cibi qui promuntur in-  
 firmo concoqui stomacho nō possunt.  
 quare crustulis tuis blandiculis quoti-  
 dianæ

*Catullus.*

*Erasmi*  
*colloquia*  
*prava cor-*  
*rumpunt*  
*bonos mo-*  
*res.*



diana ieiunia soluunt, dum tenera atq;  
lactea adhuc membra sunt. At simul-  
atque ex imbelli prodibunt ætate, ina-  
nem illam garrulitatē, simul cum pue-  
rili exutā mente, despectui habebunt.

*Formule  
Ciceronis  
& Phra-  
ses.*

Atque ea quidem sunt, quæ vane ni-  
mis finxit: ea verò quæ per inuidiā euo-  
luit, deinceps enarremus. irridet ob-  
seruationū formulas ex Cicerone, qua  
in re quantum ineptiat vel inde luce  
clarius intueri possumus. Namque vbi  
loqueris, aliquo loquaris pacto necesse  
est. Si igitur Latinè loquendum propo-  
sueris, aut diuinitus ea ratio, is loquen-  
di modus tibi obrepat oportet, aut ex  
aliquo vno omnium Oratorū delibes, aut  
omnibus eligas quo pacto dicas: nam  
ex te ipso certam linguam separatim  
efficturum, quantumuis temerarius,  
nequaquam dicere auderes. Quid igi-  
tur tibi videntur aliud facere ij, quorū  
memoria infirmior paulò est, cum a-  
liquem thesaurum sibi parant, quam  
quod tu cum ex vnica illa atque beatif-  
sima tua memoria omnia prope pro-  
ducis? Non vt inspecto prius indice,  
mox componant, sed vt si quid parum  
latine dictum visum sit consulant op-  
timos auctores, quorum omnia verba  
& singula in memoria tu solus habes.

Nos.



Nos quando humilitatis nostræ con-  
 scijs sumus, at nō sedulitatis, vt opinor,  
 pigebit. An nō euenire potest si nobis  
 ipsis fidamus, quod tibi vulgo prædi-  
 cant contigisse? vt nomine nostro in-  
 flati, aut ætate affecti in Barbariem ali-  
 quam impingamus? posteritatis enim  
 tam varium, tam vacuum, tam otiosū  
 iudicium perhorrescimus, vt ex labore  
 nominis splendorem pariamus, non  
 ex falsa opinione ignominiam. Nōne  
 Aristophanes Aeschyli phrasin exami-  
 nat? nōne Cicero filij? nōne Cæcilij,  
 quem tanquam malum auctorem La-  
 tinitatis damnat? nōne Marci Anto-  
 nij? Cuius tu vim atque dictionem imi-  
 tatus, quoniam ad gladios satis non es,  
 quem viuum non poteras, mortuum  
 conatus es iugulare. Compositorum  
 quoque ac deflexorum æquè ridet ob-  
 seruationem. O Bataue Concinnim igi-  
 tur, dices, vt quidam ex tuis faciunt? di-  
 ces oppidanum tuum vt popularem? Et tuo  
 impulsu belli homines aliquot erran-  
 tibus sibi visi sunt. si ciuitates essent tā  
 oratione quam titulo proderent cum  
 verborum monstra effutirent. Ne-  
 que quod tu ais Ciceronianis vn-  
 quam persuasum fuit, vt quod ille non  
 scripsisset statim damnatum vellent,  
 sed

*Libr. 7. ad  
 Attic.  
 Philippic.*

*Composi-  
 ta voces.*

*Ciceronia-  
 norum sen-  
 tentia.*





sed quod ille expūxit, Romanus apud Romanos, apud doctos doctus, Romanae linguae Censorem agens, ab eo tanquam à Barbariae scopulo cursum flectere nos debere commonent. Quoniã & ipse quæ ad Philosophiã spectant, & quæ ad forū pertinent aliter atq; aliter pertractavit, multa nova nomina Aristotelico exemplo felicissimè meditata, *Proloquium* & *qualitatem* atque eiusmodi, proposuit nobis ratione qua nos quoq; felicius auderem. Quorū lineamentis aliquot à nobis quoq; cōformata, ne ipsi quidem si reuiuisceret, aspernaretur. Non igitur quoniam Cicero nō posuit damnabimus, sed quoniam damnanda essent, ipsum non posuisse iudicamus.

*Imitatio  
Ciceroni-  
anorum.*

Quod autem ait Ciceronianos nullis alijs vocibus, quam quæ in illius extant libris, vti consueuisse, quantum id falsum sit vel ex ipso Cicerone videmus qui Terentij atque Ennij atque aliquot aliorum Poëtarum vel obsoletis vocabulis vsus est. Qua in re quantus adhibendus sit modus, haud facile dici potest. Tu Laberij *mendicimonum* imitaberis? Tu eiusdem *Mæcimoniū* approbabis? Tu cum Apuleio asinum ages? Tu cum Afranio *insanice* dices? Tu Varroni in  
Menip-



Menippæis, Lucilij in Satyris comes e-  
ris? Tu Auruncorum, Carmentis, Salio-  
rum monstra nobis alenda propones?

Atqui nec tu fil cum Liuiio dices, quem  
Liuium cum Ciceronianis atque cum  
Cicerone pariter admiramur, pariter-  
que imitamur. Neque verò Sallustium  
politissimum auctore reijciunt, sed an-  
xium illud atq; insititium dicendi ge-  
nus, sed multa superstitiosa verba non  
ipsi primum notauerunt. At quem ma-  
gis amplectuntur quam Terentium?

Suum tamen eloquendi genus habet,  
numeris interdum astrictius, interdū  
solutius, tāquam de medio sumptum.

Sed ita Ciceroniani censent, certa gene-  
ra auctoriū tota penitus imitanda, cer-  
tasque ætates effingendas: alia tota reij-  
cienda; in quibusdam iudicium adhi-  
bendum. Quod quoniam difficile est,

& recti specie facile decipimur morta-  
les, ijsunt in primis nobis proponēdi,  
quorum oratio castigata, nobilis, illu-  
stris, generosa refulserit. Quis tibi Cice-  
ronianus vnquam Cæsare reiecit? quis

Brutum quem tantū fecit Cicero? quis  
Catonem? Cælium? Luceium, à quo ip-  
se Cicero incredibili cupiditate ardet  
sua gesta memorari? At tu si tantum ti-  
bi sumis vt neminem vnquam imita-

*Sil, forte  
Liuij Av.  
dronici  
est, non  
Patauini.*

*Ætates  
linguæ  
Lat.*

*Libro 5.  
epist. 12.  
ad Famil.*





tus sis, aut non suo argumento imite-  
ris, non es ferendus. Illud enim arrogā-  
tis est, hoc autem inepti. Quare utroq;  
assequere ut nemo te imitetur, nisi is  
qui imbecillium conscientia virium  
sperarit, se tui potius quam illius simil-  
limum euadere posse.

*Cicero de-  
fensus.*

*Li. 10. in  
stit. orat.*

Atque hæc quidem de Ciceronianis.  
De Cicerone autem ipso ita sentit. ut  
quoniam nebulo sua nihil autoritate  
valet. multos contra eum excitet,  
M. Brutum, M. Catonem suæ calum-  
niæ socios asciscat. Nos aduersus hos  
ambos C. Cæsarem statuamus, quem  
cum præter cæteros extollere vellet M.  
Fabius Quintilianus non alium con-  
tra Ciceronem statutum fuisse, si volu-  
isset, testatum reliquit. Pomponij vn-  
guiculos, ac ceras miniatulas pertimu-  
isse Ciceronem scribit. At Hortensium,  
multò quam Pomponius fuit, doctio-  
rem Ciceronis fulmina exhorruisse o-  
mnes historiæ prædicant. M. Cato, in-  
quit, Ciceronem, cum ipse sibi festius  
videretur, ridiculum appellauit. At is  
Cato multis grauissimis Senatoribus  
nimis *durus* fuisse visus est: elegantio-  
res autem etiam *subrusticum* vocitabāt.  
Brutus, inquit, pro Milone eandem  
causam aliter tractauit quam Cicero.  
Esto,



Esto, non igitur melius. Videatis, optimi adolescentes, quod is hominis est, quo argumento nititur. Aeschines eandem causam contra Demosthenem tractat, atque hoc plus est quam aliter tractare, tanquam parem eum aut potio-rem sese contra statuit. Igitur Demosthenes inferior est. Iam hoc igitur recte habet, si vera argumentaris, *Ego aliter Ciceronis causam tracto quam tu, igitur & melius.* Caeteram vero colluuiem obrectatorum non solum Auli Gellij doctissimi viri iudicio, sed totius posteritatis silentio atque obliuione damnatam non admittimus. Tu tibi habe tuos Gallos, Licinios, Caluos, Asinios, Curiones: quorum iudicium vereor ne te mendacem prodat aut impostorem, qui nequaquam illorum scriptis recitatis, vanum modo nominum strepitum afferas, at in ijs quae Gellius recitat videmus eos apertius impudentes, aut ignoras fuisse literarum. Senecam vero quem obijcis, ad mores nostros fortassis admittimus componendos. Quid autem de ipsius eloquentia sit statuendum, Quintiliano magis credam quam tibi.

Hec igitur quam insana sint videtis, optimi adolescentes. In his vero quae

*Agellius.  
lib. 12. 2.  
Senecae  
iudicium.*

*Aridus.*

dein-



*Aridum**Aridum an  
Cic.**Dicax Cic.  
& iocula-  
ris.*

deinceps dicit, tanta inscitia liuorisq;  
caligine cæcus fit, vt vix hominis par-  
tes agere videatur. Nam quis literarum  
primis modò sacris initiatus, aridum  
Ciceronem appellabit: Quem tam feli-  
ci fuisse copia constat, vt ludicum, Se-  
natus, populi exspectationem, opinio-  
nem, animum, vim, voluntatem deni-  
que ipsam obruere consueuerit. Quis  
eum, inquam, aridum appellauerit a-  
lius quam is qui eūdem eodē Dialogo  
pari inconstantia luxuriantem, redun-  
dantem, Asiaticum vocat? tanta vani-  
tas, tanta futilis impostoris leuitas, vt  
aliud ieiunus, aliud madidus pro insti-  
tuti sui modo super eadem te sensisse  
videatur. *Elumbem* prætereà dicit, cuius  
oratione nullus vnquã Iudex permo-  
tus non fuit. Nimirum dicacem accu-  
sat. Equidem hic apertissimum liuorē  
video. Nam qui Orator est, non tamen  
semper orat, si igitur inter loquendum  
falsior fuit, continuò ne, orationi tol-  
les integritatem? sin cum oraret, vitiū  
id obtulit orationib⁹ suis, vbi id extat?  
vbi legimus? quidnam profers? Quos  
tu illius libros habes, qui nobis non  
sint? Quid? quod hic quoq;, vti semper  
alibi pugnātia dicis? Nōne ibidem tu  
à Comēdia iocos peti debere potius cō-  
scri-



SCAL. ORATIO. 69

scripsisti? Igitur in Comœdia multò plures sunt? O insane quo modo nimis in locis Cicero? sine eo quidem contentus es. Sed comœdiæ amplitudine contineri atque præscribi vis? moderandum igitur tibi erit legēti Ciceronem, non autem qui plura, qui ve mordaciora dicat quærendus. At tibi ij ioci Comœdiarum placent, qui Dauum agis, in quibus præter seruilem scurrilemq; petulantiam, nihil ferè animaduertas, statimque suum parasitum rogat, an censeat cum C. Cæsaris atque Cn. Octauij iocis conferenda, ibique pro libidine sua respondentem facit. Qui si Plutarchum interroget, si Pomponiū Atticum, si vos ipsos non negaueritis.

Posthæc homo seuerus Cicero nis sententias, quod raræ sint, multis in locis desiderari dicit. Quoniam non argutatur, nō ineptit, idcirco ea in parte mācus tibi visus est. An cum artem dissimulandam dicis, cū iudicem semper nec opinantem, incautum, improuidū occupare debeamus, inani ostentatione illius aures impleam? Nōne me præmeditatum domo afferre quæ cauere debeat, suspicetur? Publianos mimos affert ineptus, quare non Theognidem protulisti? Cur non Phocylidem? quam-

*Lib. 2 de  
orat. ad  
Q. Frat.  
Macrob.  
lib. 2. Sat.*

*Senectia.*





*Disticha  
Dionisij  
Catonis.*

*Breuitas.*

*Cic. de op.  
genere  
Oratorū.*

quamobrem non autorem illum, cuius librum *Catonis* titulo pueris prælegere consueueras? Aliud est profectò Oratorē esse qui è re natis argumentis muniat orationem, aliud inanem ostentatorem qui iactabundus arcessitis ineptijs odiosus sit. Sed cum his animaduertet Ciceronis nomen grauari non posse, conuersus est ad obijciendam breuitatem, quam nescio quo fato ab ipso Cicerone fere omnes auctores sustulerunt. Sed si quis illius consilij rationē animaduertat, cum tantæ copiae deditus fuerit, facile meminerit eorum, quæ ipse contra Atticorum quorundam inane nomen eloquentissimè conscripsit, iudicis animum, quem oratione obsideas, cui insidias struas, quem iam accusatoris venenis imbutum sanare studeas, non vno aut altero medicamento tentandum esse, sed non prius ab incepto abistendum quam rem peregeris. Igitur ij Attici oratores cum peratūce sibi dixisse persuaderent, ne satis quidem pro causa verborum fecisse iudicibus ipsis visi sunt. Itaque causa cadere sæpenumero cogebantur. si igitur eam breuitatē nobis intētat, nō pœnitet eius nos elocutionis, quæ diuitem atq; vbere copia atq; nitore splēdescit.

Si



Si strigosam quandam atque umbratilem, meticulosamque certorum verborum trepidationem probat, libenter ea virtute carere volumus. At verò si breuitatis est virtus nihil omittere, nihilque addere quod officiat causæ, eam ipsam Cicero omnium oratorum optime videtur esse cōsecutus. Quamquam vbi tu breuitatem deesse Ciceroni, dicere possis non videmus, qui eum etiã ieiunum appellasti. Sed vt hæc calumnia constet apertius, cuiusmodi breuitas hæc sit, & an ab ea Cicero penitus abhorreat, videamus. *Breuitatem* aiunt esse oratores cum totum argumentum quam paucissimis & ijs pernecessarijs verbis absoluitur. cuiusmodi est apud poetam, *Fuimus Troes, & Campus vbi Troia fuit.* Eam igitur breuitatem à Bruto commodius peti mētitur, cuius præter aliquot epistolas nulla extant monumenta. At si eas epistolas inspicias, illius dictionem argumentis inuenies accommodatam. res enim cum modicæ essent, cum paucæ, pro rei magnitudine verba fecit. Sed animaduerto quid velis, Brutiarum literarum versus opinor numeras. Quod si tibi multò omnium breuissimam ex Tullianis proferam, profectò manus dabis. *Memini.*

Virg. 2.

Aeneid.

Bruti Gr.

Epistole.



*Lib. 6. epi.  
16. ad Fa-  
mil.*

*Sallustij  
breuitas.*

*Vide Pet.  
Victoriū  
var. lect.  
lib. 10.  
cap. 23.*

ministrin' igitur ad Basilium scribentē  
Ciceronem ita loqui? *Tibi gratulor, mihi  
gaudeo, te amo, tua tueor: à te amari, quidq;  
agatur certior fieri volo.* Vides quā arcto  
gyro currat, quo flexu orationis, ei stu-  
duerit breuitati, sine qua Romanā elo-  
quentiam, constare non posse mentie-  
baris? A Sallustio autem breuitatem il-  
lam peti debere, cū scribis, neque quid  
velis intelligo, neque tam vulgi animo  
conceptam adeò persuasam, adeò de-  
cantatam in illo viro breuitatē vnquā  
comprehendi. Nam si quoniā frequen-  
tibus Asyndetis vtitur, aut quod non  
longis periodis ambit argumenta re-  
rū, properare tibi videtur, isto tibi quo-  
que pacto breuibus atq; interceptis sal-  
tibus centum milliariorum iter minus  
longum videbitur, quam vnus modo  
stadij interuallū, quod vno spiritu con-  
feceris. At contra videmus Sallustium  
ipsum cum quid semel dicendū assum-  
psit, adeò per stare vt sepe numero egre-  
di videatur. Iā tota Adherbalis oratio  
nihil aliud est quam *fratris cedes*. In to-  
ta Marij concione hoc vnum contine-  
tur *virtute nobilitatem constitui*. In enar-  
rando verò Catilinæ conflictu etiam  
militum statum, etiam interitum, etiā  
post interitum affectus ipsos exequi-  
tur.



tur. Nunc ad vr̄bis primordia, nunc ad vitiorum insectationem, nunc ad Maurorum gentem diuertit, nunc ad fratū aras. Historiæ quærit amœnitatem: vt mihi videatur, rudi licet homini apud te atque imperito tribus versibus vtrūque bellum comprehendi potuisse. Et multò breuiorem Titum Liuium videri, qui vn̄ius libri contextu centum circiter annos complexus sit. Quem igitur breuem dicebat, prolixum esse demonstraui. Si autem Ciceronem, cuius copiam carpit, breuem ostendam, nulla caussa est, optimi adolescentis, quin de illius viri eloquentia, calumniatorē ea scripsisse dicatis, quæ ipsi fuerint incomperta. breuitatem illam in confutando, confirmando, atque ipsis Epilogis, nequaquam ex Oratoris vsu esse aiunt. Nam cum crimen diluas identidem labefactanda sunt, quæ in iudicū animis iam penitus infederunt, huius rei imaginem confirmatione quoque fouere necesse est. In perorando autem, siue respicias affectus, vt ad misericordiam iudicem moueas, aut in odium impellas, siue Epilogi ambitum contēpleris, quo messem quandam facimus eorum, quæ prius à nobis dispersa sunt. Non opinor hic tuam illā occines bre-

*L. Liuius*

*Ciceronis breuitas.*

D uita-





**Partitio.**

uitatem. Restat igitur in narratione, aut in Partitione, aut in Proœmio ut sit. At in partitionibus nemo breuior, ut in oratione pro lege Manilia. *Primum hi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore esse dicendum.*

**Exordiū.**

In Proœmijs autem ea breuitate non semper opus esse aiunt præsertim defensori. Vbi tamen ita actum oportuit, nemo illo vsquam breuior: quemadmodum in Antonianis sapienterò. In quibusdam verò etiam sine Proœmio totum negocium peregit, ut in

**Narratio.**

Catilinam, in Pisonem, atque alibi frequenter. At de Narratione inquis. Tibi verò si per me palam fiat, aliquot Narrationum ita breues esse, ut nihil breuius, non potes effugere, quin aut illū te non legisse suspicemur, aut desipias, qui extantibus aduersus te scriptis illius, tam nos tui dos arbitreris, tam plūbeos putes, ut impositarum te nobis tam facile persuaseris. Sic enim scriptum est in Verrem tertia: *Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri iussit, ibi hominem ingenuum domobilem, Po. Ro. socium atque amicum fumo excruciatum seminuum reliquit.* Quid hac potest dici breuius? ex qua ne verbum quidem detrahere possis, non toto penitus



nitus sensu lacerato? Quid? quod magnus iudex Gellius, breuē alioqui Narrationem Gracchi summi viri cum Tulliana negat comparandam? Quam tu potiore comparabis narrationē, quam eam quæ in eadem oratione de patre & filio in Laodiceæ foro constitutis, efferuescit? Quam obrem qui cuiusmodi ea esset breuitas non intellexit, ne seueritatem quidem, quam à Cicerone sublatam Bruto atque Pollioni ascribit, comprehendit. Quid enim Bruti vidit? quid Pollionis? quam appellat *seueram orationem*? Seriam, opinor. At nō seria Ciceronis oratio, qua Pompeium ornat? Quid enim ibi ridiculum? quos risus pro Milone excitauit? quæ ioca pro Marcello effudit? contra legem Agrariam verò cum tonat, nū tibi à Catonibus maximo videtur interuallo distare? At pro Aulo Cluentio. At pro domo sua cum dicit. cum de responsis Aruspicum viri grauis atque Augurum collegio adoptatus subtilissimè disputat, risus amœnitatem quæfisse, ac non seriam sententiarum constantiam statuisse visus est? Omnes in Verrem actiones, in Catilinam, in Antonium, nunc in odium, nunc in inuidiā auditorū animos detrudētes, qualē tibi

*A. Gell.  
lib. 10. c. 3.*

*Seueritas*

*Seria oratio.*



bi risum ciere videntur? Quibus in omnibus cum vim desiderari dicas, credo illi ipsi quos reos fecerat Cicero: tibi succenseant. Si de nihilo ac non decapite ipsorum actum est, si vano verborum metu perterriti profugerunt. Si ex urbe gratis eiectioni sunt. Eos autem quos defendit, etiam indignaturos puto, qui tracti sint in iudicium super his criminibus, quæ nullo negotio imbelli oratione, languida actione dilucentur. Plebs verò, equitesque atque Senatus ipse, aduersus hoc tuum peruersum iudicium quid animi habituri sint, nescio. quos tam supinos fingis, ut puerili Ciceronis oratione transversos actos dicas: ipse verò Caius Cæsar, qui regem Deiotarum obstinato animo damnaturus animi causam Ciceronem audire voluit, postquam perorata causa indignabundus *Ciceronem vicisse* exclamavit, si nunc reuiuiscat qualem te f. tuum appellet, qui eneruem elumbemque eum voces Oratorem, cuius orationi perpetuos fasces, quos animo iam in regias ceruices distrinxerat submisit.

**Partitio.**

Partitionem à Cicerone tollit, Hortensio attribuit. Heu hominem nugacem, quis melius partietur quam qui de Partitionibus ita scripsit, ut totam  
viam



atq; rationem Aristotelicā vnicolibro,  
 eoq; modico hausisse videatur? qualē tu  
 librum Iopic. nō meministi, aut si me-  
 ministristi perfanctē deserare pergā, te  
 non intelligere. Non enim tam apertē  
 mentiri aules esses. Nam vt vno absol-  
 uam verbo, nemo Latinorum tam cla-  
 re partitus est, vt vel ad vmbra illius  
 libri aspirarit; præter quem si nihil vn-  
 quam quicquam amplius conscrip-  
 set, id nomen meritus est, vt omnibus  
 oratoribus partiendi auctor esse crede-  
 retur. At cum de officijs scribit, cum Pa-  
 natij placitis addit tertiam diuisionē,  
 eas tractat partitiones, quas nunquam  
 Hortensius vel attingere ausus esset. Cū  
 de auaritia, de crudelitate, de ignauia  
 Verris excandescit, quid tibi tunc age-  
 re videtur? Quid? quod Hortensij argu-  
 tulas atque superstitionas irridebāt ve-  
 teres Partitiones? quid? quod isti tui  
 Rhetores tanquam in primis periculo-  
 sas multis in causis damnant?

Artem, inquit, celatam oportet: at *Artem te-  
 gere.*  
 Cicero consulatum iactat. Obsecro vos  
 per Deum immortalem, optimi ado-  
 lescentes, ineptiorem vnquam vidistis  
 hominem? An statim qui se rectē dicit  
 Consulatum gessisse, optimum idem  
 sese Oratorem dicit? At inter quingen-



tos circiter Consulatus vix vnum aut alterum oratorem bonum agnoscit Cicero, opinor postquam consulatus interijt, propterea Oratores esse desiere, qui Erasmi calumniæ responderent. Artem vero, qua ratione celaret vir tanta opinione ad quem omnes ferè causæ deferebantur? An tu putas tam neglectum apud populum Ro. fuisse Ciceronem, tam ignotum, tam infacundum, quam tu cum vis agnosci? Tibi quidem celare artem potest: quem tam misera eloquentia prædicas, vt penè omnium infimum statuas. Immo verò quoniam pacto apud examen hoc tuum extare videtur tibi ars illa, quam tamen in tanto viro nullam profiteris? Esto. alij vna virtute quapiam excellant, negas tu in vno omnia Cicerone cumulata? at non negat M. Fabius Quintilianus, tum igitur singulis legendis corrogata facilius in vnum statues locum, quam ex cumulatifimo lecta thesauro? At verò cum neætatem quidem Ciceroni imitando satis esse dicis, eam tu ætatem etiam in alijs despertis? Atque id curiosè quidem. Nam si alij quoque cum Cicerone non solum legendi, verùm etiam imitandi nobis sunt, si ea cura adhibenda vt certa quædam accuratius elaborata

*Aetas Ci-  
ceronis.*

rata



rata condiscamus, iam quos tibi Nestoras dari vis, qui tertiam militent ætatem? Atqui ne sic quidem est, ut hæc in Cicerone sint mediocria, quæ in alijs præcellunt. Sed quoniam singularia in alijs sint, ideo magis extant, in hoc autem omnia simul summa, ut quid primum sit, quid præcipuum, quid extet, quid subsidat, nequaquam malignus intueri queat.

Sed non nobis solis eorum argumentorum leuitas nota est. Immo verò ipse quoque cum sese ijsdem nihil profecisse videret, confugit ad multo ineptiora. Quoniam aliquot Ciceronis opera temporum iniuria interciderint, iam non posse quempiam Ciceronianum appellari. Quod argumentum si sanum est, iam tu quoque, quoniam non omnia Christi opera perscripta sint, Christianus esse non potes.

Neque multò post, ita, inquit, *stilo expolito, sed à Cicerone discrepante*. Atque etiam expolitum stilum à Cicerone disjungit, at si verba latina, si illustria, si perspicua, si aptè connexa, si pro rei dignitate, si numerosa sunt, is est planè stilus expolitus, sed a Cicerone non abhorrens. *Expolitum enim, nitidum, vibanum, ac*

*Ciceronis  
multa a-  
missa.*

*Expolitum*



ciuilem apud nos nūc significat; apud veteres autem perfectum, consummatumque indicabat. Vide igitur ne tuus ille stilus, quem pro expolito inuentum nobis vis, abrosus potius esse iudicetur.

*Solæcismi  
Ciceronis.*

*Depraua  
se scripta  
de Tullio.*

Solæcismos in Ciceronis scriptis deprehensos tradit, etiam ne id nebulo? Quis tibi dixit ita scriptum esse? Nihil enim est, quod à maledicentissimo, eodemque mendace non imponi possit. Quasi verò non æquè inuidi atque inepti sit, ita scriptum suspicari reliquisse, & candidi ingenij in librariorum culpam reijcere. Quanto facilius mihi fidem habebunt omnes, temporum iniuriam accusanti, cuius tractibus atque anfractibus, multa latent, multa inuertuntur, plurima deprauantur, alia intereunt. Nolo enim hic tractare hunc locum, quasi cōmunem, deplorareque sæculorum acerbitatem; neq; si velim, sciam. sed tu ipse qui casæ Tragedias mouere soles, qui nequaquam integro nobis Cicerone per tempestatum iniurias frui licere clamitas, qui suppositios atque adulterinos libros, sub eius nomine falso circumferri indignaris, quid hoc est negotij, & calumniam istā de vno verbo, immò verò de vnus verbi



bi syllaba mutueris. Quid, inquiens, si  
 contendam aliter à Cicerone scriptum  
 fuisse, quid ij vnde ea desūpsisti? Quid  
 si iam dormitantis manum Tironis ac-  
 cusem? Sed vt hæc omnia omittā, quæ-  
 ro de te num tu Ciceronem etiam pri-  
 ma Grammaticæ rudimenta nescisse  
 dicas? Id verò est, quod à veteribus dici  
 solet, nihil esse periculosius arrogante  
 homine, cum ei semel ansa præbita est  
 ad calumniam. Age ita sit, in libris Ci-  
 ceronis vel illius ipsius manuscriptis  
 Solœcismos deprehensus est. Hic verò  
 scire peruelim, ybi gentium tam impu-  
 rus veterator vitam viuat, qui illi id a-  
 scribere audeat. Sed non mirum est te  
 id improbare quod tibi incompertum  
 est; cum multo maiore impudentia re-  
 cepta quoque retractare studeas. *In po-  
 testatem esse* à Cicerone. dictum inquis,  
 atque id minus Latinum quibusdam  
 vilum esse. At scin quibus? Barbaris a-  
 liquot, aure rudi, atque agresti, iudicio  
 corrupto, quorum ineptiæ neq; abste-  
 primo referuntur, neque à me primo  
 refelluntur, sed sunt nobis auctores mul-  
 tō quam Cicero antiquiores, quibus à  
 Græcis fontibus ea ita deducere placuit.  
 Quam rem quoniam à politissimo au-  
 ctore Gallo luculenter tractatur, diffu-  
 sius

*In potestate  
 tem esse.*



lius non occupabo. Sed quemadmo-  
 dum Q. Claudius *in mediam re in quere*  
 dixit, quemadmodum *in rem esse* Lati-  
 nè dicimus, *in re esse* pro eo quod est, v-  
 tile esse, non dicimus sed *è re esse*: atque  
 alia eundem in modum apud alios in-  
 finita: ita *esse in potestatem*. Aliud enim  
 est semiliteratorè esse, qualis tu, cuius  
 in angustias sordesque nos derrudere  
 vis; aliud populi consuetudini, docto-  
 rum auctoritati, numeris orationis,  
 purgatis auribus inseruire. Quamob-  
 rem ab eodè Gellio, qui hoc te docuit  
 ex calumniatoribus, si tam candidus  
 esses tu, quàm ille vir bonus fuit ac doctus,  
 defensionem quoque mutuari debuif-  
 ses.

Gellius  
 doctus.

Quod verò idem Gellius, in libro de  
 Gloria, apud Ciceronè versus aliquot  
 sub Aiacis persona, ex Homericà Rha-  
 psodia falso citari tradit, qui Hectoris  
 sint, etiam tu huc affers, vt ostendas il-  
 lius viri eloquentiam propter Aiacis  
 modo nomen comminutam. Nouum  
 crimen Ciceronis ab inuidis potius quàm  
 ab æmulis iactatum, abs te pari furoris  
 spiritu retractatum. Quasi vero referat  
 vter Heroù dixerit id, cum vnus Ho-  
 meri testimonio, vtri vtri ascripseris, v-  
 tri in animo fuerit. Non est, ô disertissi-  
 mè

A. Gellius  
 lib. 15. c. 6.



mè calumniator, Ajax ibi, aut Hector  
 rudis vterq; miles, cuius verbis, in Phi-  
 losophia exercitati permoueantur, sed  
 Homerus ille qui omnium artiū fons,  
 atque origo scientiarum à Græcis cre-  
 ditus est. An verò ipse si Aiace[m] eadē  
 loquentem, quæ tu Hectoris esse dicis,  
 introducere voluisset, abs te vapularet?  
 Quid erat vitij, quid ve fuerit negotij, si  
 Phœnicis moderationem in Vlyf-  
 sem, Vlyssis eloquētiam in Phœnicem,  
 transtulisset? Num tu te obieciſſes tan-  
 quam pro laribus, proque focis, vtrius-  
 que affectus vindicatorem? At quam  
 non crimen id sit, ve ex ipso Platone  
 animaduertere licet, qui cum animo  
 maiora agitaret, in Theæreto Sopho-  
 cli verſum attribuit, cuius Euripides  
 auctor fuisset: Gracchus quoque in o-  
 ratione qua Legem Aufciam iuaſit; à  
 Demade, non à Demosthene simula-  
 tam synanchen scripsit, qui à Milesio-  
 rum legatis pecuniam vt iaceret rece-  
 piſſet. Vides quam plerunque non sit  
 vitium, modò res conſtet integra, no-  
 minibus haud magnam curam impen-  
 dere? Quid si tibi ipsis in historijs aliud  
 pro alio nomine subiectum ostēdam?  
 Si g. sta ipsa varijs nominibus circum-  
 lata? An non is, qui Niciaē nomine

*Historia  
 varietas  
 notanda.*



apud Pyrrhum à Valerio veneficij  
 insimulatur, à Quinto Claudio Ti-  
 mochares fuisse dicitur? Quod aut Q.  
 Ceditio facinus Cato adscribit, id Labe-  
 rio attribuit idem Claudius? Hoc idem  
 discite etiã ex Homero, qui Pandareum  
 Procnes patrem prodidit, quẽ alij Pan-  
 dionem voluerunt. At nonne cæteri Eu-  
 ridicen Orphei vxorem, Hermisianax,  
 Agriopẽ putat? Carmenta verò Euãdri  
 mater, nonne & Themis & Nicostrata  
 alijs auctõibus fuit? Alexandri verò pa-  
 rentem alij Polyxenam, alij Myrtalen  
 vocitarunt: non defuere autem, qui &  
 Olympiadem scriberent, atque etiam  
 Stratonicam, Architæ autem illius no-  
 bilissimi Philosophi Tarentini pa-  
 trem, Hestixum quidam tradiderunt;  
 apud alios audis Mnesarelium, apud  
 nonnullos Mnafagoram. Quid tibi Pin-  
 dari patrem nominem? nonne scope-  
 linum aliqui, alius autem daiphantũ  
 agnouit? Nicochis verò pater, qui Eua-  
 goras ab Isocrate dictus est, alijs Timar-  
 chus appellatur. Aesopi item dominũ  
 nõ Xanthũ, vt vulgus credidit, sed Lad-  
 monem nonnulli tradidere. Oedipo-  
 dis matrem Sophocles Iocastã, Home-  
 rus Epicastam mauult. Medee sororem  
 Chalciopẽ vocat Appollonius, Phere-  
 cydes



cydes autem Euenien. Est vbi Hecubæ pater Cisseus dicitur, est vbi Dymas nominatur. Aliqui Tifian, & Coracen vfos esse celebri illo reciproco argumēto. alij Protagoram, eiusque discipulū memoriæ prodidere. Quid tibi enarrē vetera atque obsoleta, quæ peregrina sunt? Romuli ipsius parens, non vna comperta est: Nam & inuenies qui Rheam vocet, nonnunquam Iliam dictam, alibi verò etiam Syluiam nominatam legimus. Vides anus cornicula, vides, qui auctorum oculos effodere conaris, quos tu in obices offendisti? Non enim nomina quæ tam numerosæ auctorum libidini obnoxia sunt, nos augent, sed res ipsa gesta permouebit. Sententia enim multò aptius auctoris nomen exornat, quam sententiā auctor. At, inquires, error est aliud pro alio citantis nomen. Sed tamen quam nullius momenti vel inde constare arbitror, cum nequaquam vter dixisset animum aduertere voluerit. Quod si Ajax operam tibi dat, vt ex oratorum numero Cicero eximatur, si Hector ipsum ferre non potest, vt aliquot verbis sese defraudarit, credo propter hoc crimen euectam postea Rempublicam fuisse.



*Piissimus  
alij pien-  
sissimus.*

Marcus Tullius vocem *piissimus*, inquit, tanquam Barbaram proscindit, qua multi probati auctores vsi sunt. At Cicero id inter eos viros vitio vertebat, qui neque tunc reclamant. Et quorum cōsensu semel assertum, quod dixisset, postea pro bono, probatoque agnouit. Nec si ea voce vsi sunt ij, qui tibi probi videntur, continuo tanquā Barbara à toto Senatu reijci nō debet, sed tu illis qui tuo permissu ea voce vsi sunt, quoniam similem tui vocem amplecteris, assentiris; Cicero qui totius Senatus consensu, totius spe posteritatis eandem ignominia notavit, dissimili tui auctori non assentiris.

*Contumeliam facere.  
Philipp.*

*Facere contumeliam*, inquit, Latine dicitur, ad id Cicero quasi non probeditum taxatur. In Eunucho namque Terentiana Thais ita loquitur. *Nam si ego digna hac contumelia sum maxime, at tu indignus qui faceres tamen*: Opinor, inquit, tacite repeti contumeliam. Mirificum sibi facinus fecisse videtur, si eandem vocem alteri verbo reddiderit. At id etiam pueri sciunt, quod si tam praestantis esses memoriae, quā acerbi animi es, si observationes non  
irri-



irrisisses, non tantoperè nunc labora-  
 rares. Quare non agam tecum inimi-  
 ce, sed humaniter eo labore te leuatum  
 mea opera volo. Audistine vnquã ex  
 oratione Catonis, quam pro se contra  
 C. Cassiũ habuit ea verba? Atque euenit  
 ita, *Quirites, vt in hac contumelia, quæ mihi  
 per huiusce petulantiam factum iur.* ex  
 Plauti item *Asinaria* poteras hunc ser-  
 uum excitare, cuius testimonium fu-  
 tile atque ineptum hoc in iudicio pu-  
 tare non debuisti, qui ista tua Tragœ-  
 dia *Dauum* agis. Is igitur seruus ita  
 loquitur: *Tu alteri contumeliam facias,  
 tibi non dicatur?* En quanto beneficio  
 meo vteris, qui te tam multa doceo,  
 quæ aut nullo modo noueris, aut  
 perperam didiceris, aut turpiter obli-  
 tus fueris, Te tanta in calumnia defri-  
 cientem excito, collapsum subleuo,  
 tantum abest vt tua ista venena per-  
 timescam. Quamobrem tot tanta-  
 quæ edoctus, id quoque à me doceri  
 debes, Ciceronem non id reiecisse tan-  
 quam nemo vnquam sic locutus fue-  
 rit, sed quod tunc ita nemo loqueretur.  
 Non enim dicit, *Quis sic vnquam lo-  
 cutus est?* sed *quis sic loquitur?* Idem por-  
 rò vitium est & inaudita, & obsoleta  
 loqui. At ita euenit vt quod tanta  
 ætatis





ætatis illius auctoritate desitum erat, tu pari arrogantia instaurare coneris. Non enim quæcunque veteres impolitius dixissent, statim ab ea elegantissima ætate recepta sunt. Et cum idem Cato, idem Plautus multis dicendi formis usi essent, id castiores lingue haud quam sibi licere voluerunt. Quod ut apertius cognoscas, vel ex Terentianis elocutionibus amplius intelligere est, quarum quasdam quamlibet puri auctoris, ne probamus quidem. Nō enim post illum quispiam Oratorum dixit, *tibi, aut mihi decere*, quod quidem exter: qua dicendi tamen forma ille usus est. Neque multa alia que ne fastidium pariamus, apponere superfedebō.

*A. Gell.*

*10. c. 2.*

A voce *novissime* & *novissimus*, inquit, abstinuit Cicero, quibus vocibus Salustium optimum auctorem, & M. Catonem usos ferunt. Etiamne id vitium, ac non prudentiam Ciceronis dicis? Eum hominem qui Latinam linguam tanta cura illustrare studeret, *novissimam* vocem formidare prudentiæ fuit; prolata autem sententia non damnare, qua cæteri vterentur, modestiæ. At quare non secutus est Cicero tantorum virorum iudicium? Quare? quia maluit solus culpa carere, quam cum



cum cæteris veniam poscere. Quia maluit Lælium sequi, cuius iudicio ea vox damnata esset: cuius iudicio qui loquebantur rectè loqui putabantur: cuius iudicium maluit sequi Cicero quam contra illud mereri, ut se fequereris. Aliud enim sonat auribus tuis improbo nunc verbo assuetis, Erasme, aliud Romano viro, qui tamen Asinianæ calumniæ Patauinitatem Livio obiectare ausus es. quam tu quo loco, quo tempore cognoscere, quo modo Batauus metiri potes? Qua ratione Teutonicus vitium illud conflare, quo iudicio dignosci dices? Si omnes voces Romanæ sunt, si vniuersa structura ex veterum cements, lapidibus rediuiuis, incorrupta materia constat, si candor ille illam felicissimam ætatē etiam superat, si omni inuidia, omni calumnia maior est, quam in lacteo illo flumine labem labes deprehendas. Cum tamen illius sententię ne his quidem qui obiecerat, cæteros Romanos habuerit assertores.

Sibili elementum inter duas longas vocales à Cicerone geminari vitio putat. At id Quintilianus vnde hæc didicisti, non Ciceroni, sed toti illi, atque mox subeunti ætati attribuit. Quamobrem

Gell. 17.

c. 1.

et Quinc.

l. 8. c. 1.

T. Livium.

S. litteræ.

Lib. 1.



*Causa.*

obrem si tantum tibi impudentiæ est, ut quod omnium fuit vni ascribas, si tantum confidentiæ, ut aduersus centum annorum totius urbis Romæ usum, peregrinus atque semidoctus impetum facias, iam istius tuæ temeritatis vel hoc vnum iudicium esse potest. Quid quod tam audax impostor non agnouit, haud temere in voce hac *caussa* mediam geminare consonantem? Non enim ex illorum usu, sed certa ratione factum est. Siquidem ea vox concisa nunc est, quæ olim *ceussa* fuit, eadem proportione qua *fouissas* integrum dixerunt aliquando, nunc autem *fossas* diminutum.

*Poetica  
Ciceronis.**Catullus.*

Exit deinde ab eo quod orationis initio pollicitus fuerat. Cùm enim de Ciceronis eloquentia quæstio sit, quæ prosa oratione contineretur, ad poeticam illius vim, tanquam aptiorem ad reprehendendum sese confert. At quale tibi videtur id carmen, quod totum illius ætatis fuit? Quod si damnas, non Ennium solum, quem tu contemptui habes, sed totum Romanum æuum ad Catullum vsque damnes necesse est. Is enim cum aliquot paucis, Caluo & Cinna, primus mira dicendi  
suauis



suauitate duritiam illam veterem atq; *Lucretium*  
 horridam emolliuit. De Lucretio ve-  
 rò quid dicemus? An is tibi visus est  
 quem tua perulantia dignum duce-  
 res? At quis neque illius doctrinam,  
 cuius tu fundamenta complicibus tuis  
 Lutheranis iaciebas, contemnere de-  
 bueras, neque numeros minus fluxos  
 salua iudicij tui constantia carpere  
 poteras. Si quidem Horatius, cui tu te *Horatius*  
 vni addictum iactas, eodem versus ge-  
 nere haud quamquam felicius fuit.  
 qua tamen tempestate tam grãdis poe-  
 ta Vergilius florebat. Varrus verò &  
 Gallus, atque ijs maiores natu Cinna  
 & Catullus tanta suauitate, tam lepi-  
 do numerorum fluxu vsi fuerant, vt o-  
 mnia deinceps sæcula ad eoldem mo- *Vide Scd-*  
 dulos allecta sui exemplo habuerint. *ligeri Hy-*  
 Neque verò Horatio detrahimus in *percriti-*  
 inuentione ingenium, in sermone pu- *cum*  
 ritatem, in sententijs occultos sales, fi-  
 guras, numeros, totius orationis suc-  
 cum sapidum ac frugi ita admiror, vt  
 ne tibi quidem cedam, sed numero-  
 rum iuncturas, lubricos lapsus, non in-  
 decoram Venerem, sublato auctorum  
 titulo, in vtroq; ita desiderari, vt Cice-  
 roni ætas illa Horatio argumentū ob-  
 fuisse videatur.

Cum.



Catullum.

Cùm verò versus mihi narras quos operibus suis ex Græcis Tragædijs parum feliciter versos inseruerit, in quorum numeris idem sibi licere cum veteribus putarit, quam tu limam huc ob quatuor tantum versus affers, quanto maiore operæ precio totam in latinitatem vertere debuisti. Quis enim vsq; ad Senecam Senarios iambos aliter scripsit? Nam quod Horatius tuus patrios Iambos à se primum confectos gloriatus est, præripuit iactatione gloriam Catullo, quam ille prior verò labore sibi pepererat, qui neque compositis numeris, neque felici oratione, neque puritate, neque elegantia cedit: acerbitate autem multò etiam anteit. Sed Ciceronem ijs abusum mensuris calumniaris. At verò qui aliter locutus esset Græca Latinus, quam cuiusmodi Latina apud alios comperta recitabat? Id quod æquè irridere tam impudenter veritus non es. *Horridos, inquis, versus atque incultos inseruit, quos insereret igitur. Qui non extabant? an Vergilianos, quos nondum viderat? an tuos? At te tam præclaras tuas gemmas inter eas sordes tuæ orationis quam proscindis, indignaturum diuinabat. At nunc quod id non fecerit indignaris.*  
 Igno-



Ignosce tamen illi, Erasme: nō potuit ante nouisse te quam nascere. Et nūc illa tibi vetera sordescunt. At non Aedilibus immani precio eas fabulas cōparantibus, non applaudenti populo, non approbantibus theatris sordescant. Porro autem sapientum sententias satis habet Cicero referre, non fucos. Quanquam in illa horrida veterū poësi tam non anxie adstricta, non cōtortas sententias, non inuitorum verborum occupatas sedes inuenies, sed liberam sententiarum maiestatem, saluum elocutionis sudorem, sanam structuræ æquabilitatem, verborum splendorem, numerorum concinnitatem. Vbi nihil pœnitendum deprehendas, nisi quod ea tempestate cōdita essent, vbi dissimiles tuis mores æqualem sibi poscerent orationem, quam tu irrifusus esses. Sed quo auctore inferi versus prohibes? An non fecit idem Plato: nō præcipit id Quintilianus: non hoc agit Lucianus ille tuus? cuius venenata tibi studio appetita sunt. Nam quicquam de Aristotele nolim contra tuam istam petulantiam afferre, quem tu adeo despexisti, vt scholæ tantum nomine per contumeliam dignatus sis, omnesque illius studiosos in con-

tume-

*Versus in  
prosa.*

*Lucianus*

*Aristoteles.*



tameliam dignatus sis, omnesque il-  
lius studiosos in contemptum schola-  
sticos appellaris. Quā ob causam quo-  
ties istis disputatoribus, ut iracundio-  
res sunt, stomachum moueris, contra  
eos tabernarios appellare solent.

*Hiulca  
oratio.*

*Platonis  
funebri  
oratio.*

Hiulcam Ciceronis orationem  
subeuntium vocalium frequentia di-  
cit esse. Etiam ne id ineptis, ut quod  
ille ita fieri necessario declarauit, tibi  
id retractandum reliquisse arbitreris?  
At ob id Theopompum errasse vo-  
lunt, quod eiusmodi vocalium con-  
cursum effugerit: id quod tamen ne  
Thucydidi quidem elaboratissimo  
dicendi artificii curae fuit. Ac ne Pla-  
toni quidem ipsi, non in Dialogis  
modo, sed in funebri quoque oratio-  
ne: cuius excellentia id merita fuit,  
ut quotannis anniuersaria recitatione  
publicis omnium Atheniensium suf-  
fragiis dignata sit. Cum igitur tot flo-  
rentissimorum aetates Oratorum sub-  
secutae sint, tot tantaque cuiuscunque  
generis ingenia pullularint, nemo  
vnquam vocalium concursus illum  
effugiendo id meritus est, ut eius ora-  
tio pro illa hiulca Platonica recirare-  
tur. Praesertim cum rei nouitas toties  
iteratae orationi officere debuisset.

Quam-



SCAL. ORATIO. 95

Quamobrem id ipse Cicero ab sese de-  
 dita opera f. et itatum prædicat: tan-  
 taque esse statuit suauitate, vt quæsi-  
 tam illam negligentiam ipsi oratio-  
 ni lumen atque gratiam afferre indi-  
 carit. Et Gellius id vltro à quibus-  
 dam ad orationis concinnitatem et-  
 iam affectatum scribit, inter quos Ca-  
 tullus quoque commemoratur. Cu-  
 ius in manu multò fuit facilius corri-  
 gere quod prauum esset, quam tibi  
 quod esset rectum digno scere. Quod  
 cum non despexerint sed probarint,  
 non reiecerint sed affectarint, non fu-  
 stulerint sed statuerint, multò aptius  
 consulere auribus eruditiorum, quæ  
 non læderentur. Id quod & Sallusti-  
 us omnium scriptorum numerosissi-  
 mus nusquam aspernatus est. vbi ye-  
 rò ita, ait: *Deinde vbi ea imperata  
 semper boni fidelesque mansere & cup-  
 èta à Bestia Albino: Et cætera etiam  
 quæsisse videtur, ne tibi omnium iun-  
 cturarum exactissimam trutinam ob-  
 ijciam Vergiliū poetam. omitto enim,  
 sub Ilio alio & Insula iunio in magno: & sex-  
 centis alijs in locis. Qui id non admise-  
 rit solū vbi sese offerret, sed etiā, ac ces-  
 nerit in quarto diuini operis cum dice-  
 re potuisset, aut quæ spes inimica in gente  
 moratur.*

*Gell. lib.*

*7 c. 20.*

*Catullus*

*Sallustius*

*Vergilius*

*Vergil. 4.*

*Aeneid.*

*moratur.*





*moratur. maluit ita hiare, aut quae spe ini-  
mica in gente moratur.*

*Demo-  
sthenes.*

Et in quarto Georgicorum, ubi erat  
in promptu dicere, *sterunt Rhodopæia  
saxa, maluit & Rhodopæie arces, qua ex ob-  
seruatione tantam in oratione virtutē  
Demosthenes indicauit, vt etiam con-  
quisitis vocalibus, id affectasse videa-  
tur. Nam si orationem quam pro Phor-  
mione habuit, legas, non solum eandē  
vocalem seipsam excipientē inuenies,  
vt ἄ ἀν ἡ Δίκαια, quod ἀπερ ἀρ tuo  
iudicio ablandiri debuisset, verum et-  
iam additā vocalem cuius vsu tum ca-  
rere potuisset. Dicit enim ἀδικοῦν  
θ' ἐαυτοῦ οὐτοσί, ἀπαλλαγῆς. Cum  
tamen οὐτὸ & dicere potuisset, si  
ea quæ tu improbas, non probasset. Sed  
& hoc mihi nihil proffit, si non eadem  
in oratione multò maiorem hiatum  
comperiaris. ἀπολλοδάργη inquit,  
τουτονί, οὐτε Δίκαια. Etenim cum  
hiaret multum, ne eadem diphthon-  
gus concurreret quæ omnium obscu-  
rissima est, adito vastiore hiatu rem cō-  
posuit. Ecce tibi, Bataue, quemadmo-  
dum hiatus non solum non turpis est,  
immò verò necessarius, non solum nō  
lædit*



lædit orationem immò verò eius vitia  
fanat. Atq; equidem miror qua ratio  
ne id artis damnes quod natura quadã  
etiam in singulas easdemq; simplices  
irrepperit dictiones. Nam in odio, o-  
ratione, copia, tædio id suopre ingenio  
natum est, quod à Cicerone factũ stul-  
te insectaris. Iam verò & eadẽ sibi ipsi  
subeunte non solum absona oratio nõ  
fit, sed contra additur decus. Id quod  
Vergilius atque Sallustius ad grandio-  
rem orationis sonum suis scriptis par-  
tum voluere, id quod in verbis *cooriri*,  
*cooptare*, *coopertum* manifesto comper-  
tum est.

Officiorum exordij periodum no- *Offic. Cic.*  
no demum versu absolui criminatur. *Periodi*  
Quid id ad te si vel decimo, quod ille *longiores.*  
vno tamen spiritu protulisset? hem, E-  
rasme, vt intelligas quanto vel ea vir-  
tute quæ non maxima est in oratore il-  
lo iam sis inferior, quamquam ij no-  
strates scholastici, qui tibi inuisi sunt,  
vel minimo tuorum poculorum tam  
grandem illam periodum contineri  
posse prædicant. sed vt memineris id  
aliorum quoque exemplo illi licuisse,  
quod ista tua tam importuna proca- *Demosib.*  
citate nefas ducis, legas censeo Olyn-  
thiacam primã orationem, legas eam

E quæ



quæ protesiphōte tantoperè laudatur. Non calumniabor versutissimè, quod tu facis, non unum versum, quos tu munitissimè secas, sed ad sexagena verba tibi vnica periodo cū Demosthene pronūcianda erunt. Sed nequaquam tibi tam delicato homini scripsit illū librū Cicero, qui diuinabat te suos libros, atque eum ad eò in quo decori præcepta cōtinerentur, neglecturum. Pergit deinde orationū, operumque aliorū Ciceronis exordia, tanquam tribus ad comitia, citare in quibus dum imitatorū prætextu castigatione treis aut quatuor formulas explicat, quibus Ciceronē addictū fuisse videtur intelligere: cū tamen inter tot Epistolarum, tot voluminū millia sex, aut ad summum octo initia ab eadem syllaba incipiant. Atque

*Oratio ad Equitis, priusquā iret in exilium.*

*Que Porcij Lauro nis est.*

ibi tam acer iudex tam accuratus obseruator orationem ad Equites habitā pro Ciceroniana recensuit. Quam, si tantum polleret animi vi, tanto esset iudicio, quanti videri vult, nihilo magis esse Ciceronis quam in Catilinam declamationem, planè deprehēdisset. Iam tibi non succenseo, Erasme. quid enim de Ciceronis operibus iudicare velis, quæ tibi sunt ignota, nescio, arbitror que te bonum virum illius opera per-



ra percussisse, non perpendisse: ut faci-  
 lius ad illa tua singularia studia quibus  
 Religionem nostram lacerares te ipsum  
 conferres. Atque ipse cum imitatores e-  
 ludeere velles, tuo consilio atque suasu  
 circumlata iactas aliqua Ciceronis pa-  
 riter & recentiorum quorundam fra-  
 gmenta, quæ ita placerent aut displice-  
 rent, prout illius aut horum nomine  
 tituli transferentur. Atque ad ipsum Ci-  
 ceronem refereretur perinde probata es-  
 se. Iam iam iudicem illum deprehensum ar-  
 bitror, Erasme, cuius tu nomen, quæ in  
 te est immanitas, more tuo, qui nemi-  
 nem vexas, suppressisti. Quem tu alium  
 censes fuisse quam te ipsum? At rursus  
 nobis data verba credidisti, cum decla-  
 mationem, pro Ciceroniana oratione  
 ad Equites, supposebas, vides quantum  
 inter te Italumque hominem, quam natio-  
 nem tu sciolum vocas, intersit? Cuius  
 tu aures vel rudis scholastici fallere non  
 potuisti. O nequam, si tibi notus es. Et  
 si non notus, infelicem. Nam si illa fal-  
 sa pro veris subijcis, falsi crimen subis,  
 Si ita prorsus iudicas, infelicitæ nota  
 affectus es. Vtro autem te verteris,  
 non boni viri nomen effugere non  
 potes. Legentur hæc apud posteros,  
 Erasme, atque ita legentur, ut si quid  
 E 2 pudor.

*Suppositi-  
 cia Cice-  
 ronis, ut  
 et Rhetorica ad  
 Herennium  
 que sunt  
 Cornificij.*

*Cic. 2.  
 Philip.*





pudoris reliquiarū in tanta animi per-  
 uersitate esse potest. Antequam id scri-  
 beres, malles vitam cum morte cōmu-  
 tasse. Dic, amabo te, si ea in quibus Ci-  
 ceronis solœcismos iactas, esse negaue-  
 ro, quid tu mihi respōdebis? quibus ar-  
 gumentis? titulo? At etiam *Gallionis li-*  
*brī ad Herennium* cuius essent, abs te ig-  
 norabātur, eadem ratione illius erunt.  
 Si de stilo atque dictione cuncta perpē-  
 dis, quid agebas, cum eam legeres Ora-  
 tionem, quam nos expunximus?

Iam videtis, optimi adolescentes,  
 quicum bellua nobis res sit, cui neque  
 sua neq; aliena nota sunt. Et tamen se-  
 ipsum iudicem constituit pro vniuer-  
 sa Republica literaria, quam, exciso ca-  
 pite tantopere funditus euersam cupit,  
 tanta inconstantia, vt peculiari suā se  
 leuitate superasse videatur. Cū enim  
 Ciceronis memoriam sublatam velit,  
 se tamen audet dicere veram germa-  
 namque Ciceronis esse prolem. O car-  
 nifex; Tu te illius esse prolem dicis quē  
 necasti? O paricida; quemadmodum  
 audes aut mentiri te satum eo parente  
 quem iugulas, aut iugulare quem mē-  
 tiris? Quos tibi culeos, quas catenas  
 imprecabor? O furia, quibus te hæc  
 scripturum sperasti? aniles fabellas tuas  
 è Græ-



& Græculis vanitatibus ad fallēda ado-  
 leſcentium ſtudia tractare te putaltis?  
 Quinquam hæc ſupplicia vt deprecā-  
 rere, ingentes mox eiusdem laudes ex-  
 aggeras. Et quem aridum, atque elum-  
 bem atque ſubinanem notabas, eundē *Laus Ci.*  
 diuinum reperis prædicare: quaſi cu- *ceronis.*  
 ius ſcripta ſint eiſmodi, vt in ipſis il-  
 lius etiamnum mens ſpiret, atque is  
 genius, qui arcanam quandam afferat  
 energiam. At ne tibi propter hoc igno-  
 ſcere nos putes, hæc tibi non credimus,  
 ſed doctis idem dicentibus. Hæc tibi  
 non debemus, nō accepta ferimus, ſed  
 omnibus ſæculis de illo hæc eadē præ-  
 dicantibus, cum præſertim te non lau-  
 dandi Ciceronem conſilio, ſed deter-  
 rendi nos ab imitatione, petulantia fe-  
 ciſſe conſtat, ex verbis, quæ maxima cū  
 illius laude & leuitate tua ſubieciſti.  
*Cicero, inquis, naſci fortaffe poteſt aliquis,*  
*ſieri autem nemo.* vbi quid tibi velles ne-  
 ſciebas quidem. Nam quemadmodum  
 ille non ſtatim natus eſt tantus, quan-  
 tus poſtea fuit, ſed factus eſt. Ita autem  
 factus eſt, vt à natura ingenij ſemina  
 adeptus ſit: eodem quoque pacto quis,  
 poſtquam ita natus ſit, talis quoque  
 fieri poteſt. Sed nihil mirum circulator-  
 rem mercenariæque garrulitatis ven-  
 ditor-





ditorem, à Philosophiæ studijs abhorrentem, tam absona locutum esse. Et si ita nasci debet is, qui Ciceroni similis futurus est, satis nobis sit, si modò nasci potest. Nam tu mirificam abstrusamque rem in primis enucleasti, qui neminem fieri posse Oratorem antequam nascatur, multis nugis cōtendis. At ne ad Ciceronem quisquam, ab eius genio auersus, sese accingat. Num tu igitur totum orbē ab eius genio exclusisti? at Qui non solum ad Ciceronis imaginem inuita Minerva componēdi non sumus, sed Quintiliani quoque præcepto, ne ad oratoriam quidem vel spectantur percipiēdam. Nam quamobrem ad rusticum opus faciendum aliquod etiā destinauit? Quāquam quid in his ego diutius immoror? cū vel infinitos Cicerones nasci posse, infinitosque illius prodire genios concedere cogaris? Qui tam vili ipsum æstimasti? Immo verò tua sentētia facilè quis etiam multò excellētior ortus iam sit Cicero- ne, quem tu quidem omnibus auctori- bus literarum aliqua ex parte etiam ijs, quos nunquā legeras, postponebas. Quare cum nihil eximium haberet, cum virtutes vitijs proximæ sint, cum imitatio plenā rē nō exprimat, sed defluat,  
non

*De imita-  
tio Cic.  
sententia  
Erasmi.*



non erit Cicero imitandus. Quoniam  
 in eius summas virtutes si vires inten-  
 damus, in vitia virtutibus proxima de-  
 labi necesse est. Vbi (vt tanta inter se  
 pugnantia omittam) venit mihi in  
 mentem quam otiosè talis Philoso-  
 phus irrideri possit. Quasi verò intra  
 summas Virtutes quas Stoici finiebāt,  
 quispiam consistere non possit; multò  
 citius quam in vitia delabi. nam cum  
 per Virtutes quasi eum ab auaritia per  
 liberalitatis gradus ingrediatis, anteq̃  
 in summo sis, antequā prodigalitatē  
 periculum subeas, nōne certis limiti-  
 bus præscribere teipsum potes? Sic &  
 intra diuinam illam Eloquentiā mul-  
 ti magna cum laude versati sunt, cuius  
 illos haud quaquam debuit poenituisse.  
 Nam & si Virtus medium inter vi-  
 tia, quasi centrum in circulo describi-  
 tur, non tamen puncti vicē obtinet, sed  
 multā partē diametri sibi vēdicat, quā-  
 to à circūferētia magis abscedēs tanto  
 propior cumulū illū laudatiōrē. ita p-  
 pterea ex actionū frequētia effici id, q̃  
 habitum appellant Philosophi, dicimus.  
 Ante igitur quā Habitus ille, qui Vir-  
 tus perfecta dicitur, perficiatur, is qui  
 iteratis actionibus studet, vitiosus, o-  
 pinor, non putabitur. Igitur summum

*Virtutes  
summae.*

*Habitus*



hoc bonum inter & summum illud vitium ea interualla, naturæ iussu relicta sunt, vt quoniam repente optimi esse non possumus, via saltē ad eum cumulum haud quaquam interciperetur. Atque hæc quidem tibi tam grandæ patu nequaquam canimus auerso per ætatem ab ea veritatis disciplina, à qua te aut peruersa natura, aut nimia genij indulgentia retraxit, sed vt optimis adolescentibus, quorum eloquentiæ vim integram atque incorruptam indignabaris, quanta ipsis venena parares ostendamus: Præsertim cum & summam valetudinem ne optandâ quidē statuas, quam labefactari aliquando necesse sit, quoniã ibi consistere nequeat, atq; recirco in ægritudinem necessariò collabatur. Atq; huius quidē vmbra sententiæ, à cuiusmodi luce sublegeris satis cōpertum habere videor, ex Hippocratis Aphorismis, opinor, sed quã male intellectis iam hinc perspicuū faciã. Agedū, bone Aesculapi, nosti quã lata sanitatis interstitia ab ipso Galeno cōstituantur? Nostine aliquos ita sanos apud ipsū esse, vt in præsens tantū, quales sint iudicentur, alios vt magna ex parte vitæ ita sint: quosdã vt semper tales habeantur: paucos autē esse quos omninò

*Summa  
valetudo*

*Hippocratis  
locus.*



ninò sanos vocet? Te igitur quē in or-  
 dinē cooptari velis? An eorum qui o-  
 mninò sani sunt optimum statū nega-  
 bis cum tibi non eligas? aut saltē sem-  
 per sanum esse? At iam pertimescebas  
 tibi esse quēpiam in morbum inciden-  
 dum, cum tamen id generis homines,  
 haud vllò vnquam morbo tentari eidē  
 Galeno persuasum sit. Quod verò ex  
 Hippocratis sententia pro te astuis ita  
 intelligas oportet, summā valetudinē,  
 quæ in eiusmodi corporibus est, quæ à  
 Galeno in presens tantum sana esse di-  
 cuntur, agnoscamus. Eam igitur vale-  
 tudinem cū summa est, ne in peius di-  
 labatur, aut præbita potione, aut soluta  
 vena, aut cibi abstinencia præcipit co-  
 hibēdam. Hem, Erasme quanto pudore  
 tuo, quanto gloriæ tuæ periculo ab  
 iuvene homine, à rudi Oratore, à non  
 Oratore, à milite, ab Italo, ab eo qui  
 peruelit se, & dici & esse Ciceronianū,  
 docearis. Videntur ne tibi eadem di-  
 sciplinæ in moribus, in Dialectica, in  
 scientia Naturali, in medicina, in ma-  
 thematicis, inter Colloquia tua cōpre-  
 hendi posse. Quæ ego quidē, haud qua-  
 quam perdidici, sed ab alijs luculentis-  
 simè dictata rudius tibi narro, non vt  
 melior fias (ea enim fabula surdo cani-  
 tur)



tur) sed vt ne nos ipsi tui exemplo deterioriores euadamus. Quare succensere nobis non debes, si & pro publica omnium causa, & pro mea ipsius, & pro tua, si voles, laboramus.

*Imitatio.* Acerbius hæc in te dicta putas? Quid si illorum Italorum in quos rabiæ tincta missilia eminus iacularis, aciem comminus intuereris, quorum congressum toties exhorruisti? tunc me iubes à virtutibus abstinere, quoniam vitijs vicinæ sunt? O Epicure, summo loco natis viris liberalitatem, quoniam profusi esse possint, interuertere conaris? tu magnanimitatem pessundas, quod furtim temeritas obrepere solita sit? tu me à recuperanda auitarum sedium dignitate deterrere vis, propterea quod maiores mei cum eas obtinerent, à Tyrannide haud penitus abesse fortasse visi sint? Omittamus omnes summas virtutes, sanctos viros ne imitemur, simulationi enim erimus propiores. Inopes ne subleuemus. ostentationi enim hæc proxima sunt. Omnia diuina iura contemnamus. quoniam ijcalles angusti præruptis præcipitibusque discluduntur. Videtis, optimi adolescentis, cuiusmodi iudicium, qualia

*Scaligeri  
domus  
Verona.*



lia præcepta, quas turbas cieat vobis in luce civili? Omnia iura humana, diuina miscens, confundens, tollens, vt nihil aliud quam immanis belluæ impetum illius oratio habere videatur. Quamobrem minimè mirum est, in calce dialogi suasisse, vt ne optimis semper vteremur. quoniam varietas tum in literis, tum cibus oblectare soleat. Cum tamen in varietate, suo quæque genere, etiã optima esse possint. Quod si non iam varietati modò studes, sed & deteriora quædam à nobis appeti interdum dicis, id ipsum debilis stomachi, aut languentis, aut corrupti esse scito. Quocirca non ita erit vti tu in simulas, à nostris Bibliothecis omnes literas præter Ciceronianas excludi. Quanto enim vniuersæ eruditionis cumulo, eiusque integræ, atque ex innumeris pene petite libris te anteeant iam vel ex his manifestum est. Id quod vel de ipso Cicerone tibi ipse semper contradicens assentiris. Eum enim cum in ciuilibus actionibus primæ laudis virum dixisses, in alijs autem interdum illa gloria inferiorem, eiusdem orationem nunquam satis laudatam, excellentibus eius virtutibus connumeratis in cælum tollis. Quas tamen



virtutes sub iniquo iudice pro vitijs  
haberi posse profiteris. O Erasme, ab il-  
lo iudice ad te appello, quem iudicem  
opinor non nosse te, atque illi male  
velle. Quem tu *calumniatorem* atque *im-  
pudentem* mox appellas, qui conetur  
quicquam illius reprehendere oratio-  
nis, nusquam enim illam tu tuo isto  
dialogo reprehendisti.

*Vocabu-  
lorū vsus.*

Post hæc sibi applaudens, Socrati-  
cis, ut ipse scribit, argumentis ita sta-  
tuit, non debere nos, quomodo Cice-  
ro dixit, dicere, propterea quod nunc  
alia sint imperia, magistratus, curia,  
forum. Quidnī? Num Cicero cum  
ad Quirites verba faceret, Sabinos pa-  
stores appellabat? cum in curia dice-  
ret nominabat Areopgitas? cum a-  
pud Cæsarem Q. Ligarij causam age-  
ret, Alexandium Macedonij voca-  
bat? An non apud omnes idem Cice-  
ro? An non Reipubl. statu mutato, ea-  
dem fuit Ciceronis eloquentia, nomi-  
nibus tantum, atque aliquot affecti-  
bus immutatis? Si pro Milone verba  
facit, si Marcellum laudat, aut Pompeiū  
exornat, aut Archiam defendit, aut Sul-  
pitij memoriam consecrat, ita eodem  
modo nos pro rerū natura, p̄ materia  
pro tempore, pro personis, dignitatis  
atque



atque orationis nostræ habebimus rationem. Quamobrem de Religione nostra mutatis tantum nominibus Iudicumque honorificis appellationibus, quis referri verabit Ciceroniana eloquentia quæ alibi Barbare effusa sunt? Quod si ita est ut hæc ipsa religio omnino respuat ornamenta, quorum nugæ tuarum Paraphrasium? Quibus te non solum interpretes, verum etiam Marcum ipsum, diuinæ afflatum Eloquentiæ spiritu, dicendi genere superaturum sperasti. Quæ si tua loquacitate adumbrantur, quid causæ erit quominus diuina illa eloquentia illustrius exprimantur? Quam rem tu quoque leuissimè transfuga alibi confiteris Ciceronem quæ olim dixit præstantissimè dixisse. Et quæ nostratia non dixit eadem facultate fuisse dicturum, quo nemo felicius dicenda tradiderit, nemo tradita dixerit absolutius. Si igitur ille hæc ita dicturus fuit, quo modo illa dixit, quam ob causam eorum imitatione hæc ita dici non queunt? Nam quod attinet ad quædam verba, quorum insolentia fietus præsentium rerum statum Ciceronianæ dictioni reclamare clamitas, id ad iuncturas nihil attinet, nihil ad figuras, periodos, vim, perspicuita-

*Paraphras  
ses Erasmi*



cuitatem, aptam, compositam, concin-  
 nam. Quemadmodum Stoicorum ver-  
 borum monstra quædam nequaquam  
 obfuere, quominus inter illustrem il-  
 lius orationem mitiora placidioraque  
 tractarentur. Neque si quis, quem non  
 commemoras, Romæ minus aptè egit,  
 non multi alij quoque mali Oratores  
 extiterunt. At Ciceronis culpa euenisse  
 cum dicis, id qui ferri potest? An non  
 ij, qui Ciceroniani non sunt aliquando  
 eiusdem notæ iudicati sunt? immò ve-  
 rò vel frequentissimè. Quamobrem nō  
 quod ille malè egit nobis illius exem-  
 plo silendum est, sed ne alius male agat,  
 non est silendum, præsertim cum non  
 à Cicerone id illi vitium oblatum sit,  
 sed propter ipsum Ciceroni tua obue-  
 nerit obtrectatio. Atque Phædrū quen-  
 dam cum nominasset, statimque calū-  
 niam hanc introduxisset; *nomen, inquit,  
 viri suppressam, ne viventium quempiam ar-  
 rodere videat.* O virum astutum, qui in-  
 ter sepulchra vita functos mauult arro-  
 dere, quoniā ij sese tueri non possunt.  
 O virum moderatum, qui Phædro par-  
 cit quanquam pinguiissimo, Ciceronē  
 autem, quem exili tamen collo fuisse  
 scribit, arrodere minimè dubitauit: qui  
 omnium recentiorum etiam viuentiū  
 no-



nomen, dignitatem, ordines odiosissime obturbat: tanto magis à Quintilianimodestia alienus, cui viuorum nomen attingere fuerat religio.

*Lib. 10.  
Viu non  
nominan-  
di sed  
mortui.*

Interrogat deinde an pro optimo maximo Iesu Deo nostro, Iouis vocabulum subdemus; pro Virginum regina Maria, Dianam. Id verò stultissimi hominis est interrogare. Numnam pro Erasmo appellabo te Lucianum? Atqui commodius poteram. In hoc enim ipso ex

*Lucianus  
de Histo-  
ria ratio-  
ne.*

Commentario, quem de tractanda Historie ratione conscripsit, imitatus es; cuius illiberalem taxandi morem secutus es, cuius ad exemplum irridendis Religionum nostrarum luminibus, te ipsum comparasti. Num tibi Timonis nomen supponam? Atqui decuit. Humani enim generis odio flagrare videris, qui præter te vnum probes nihil. Num Porphyrium? at noti sunt sanctissimis collegijs tui Commentarij, quorum impietate omnibus suffragijs denarunt, quorum labes vt expurgaretur medijs Lutetiæ foris, suggerente etiam populo, igne, publice cōcremarunt. Subdendæ erant illæ animo tuo faces, Erasme, quibus fieres purior, nō immeretibus charris, quæ tuis oblitæ monstris, eo ipso satis pœnarū dederāt. Vt intelligas lōgè  
dissi-

*Parisijs  
libri ex-  
ustu*



*Erasmus  
in Moria  
diuina ir-  
ridet.*

dissimiles tui nos esse, quibus tantum erroris obijciebas, ut inter orationes nostras redemptoris suauissimum, ac dulcissimum *Iesu nomen* exhorresceremus. Vtinam tibi, Erasme, ille ipse, ca mentem dedisset, ut ab suo nomine abstineres, cum tu tanquam popinonis, aut institoris cuiuspiam compotorem inter moriones colludentem statueris. Attui dissimillimus Salomon eam sapientiam non inter stultos, ut tu vis, sed in aeterni patris sinu perpetuo lusu oblectatam prodiderat. Quare frustra tu quidem sperasti, Ciceronianos huic calumniae non responsuros, quoniam nomen illud scriptis his esset identidem inferendum. Iam igitur desines calumniari profanarum rerum usum, Ciceronis praetextu animis obtineri. Verum nostrum Iesum Christum simulari. Ecce tibi quam aperte mentitus es. In me omnes ad te loquuntur Ciceroniani, quorum eloquentiam in inuidiam per haec mendacia trahere conaris. Cum tamen in calce Dialogi nullum magis auctorem pueris in sinu habendum censueris, qui in eloquentiae luce educarentur. Attu Ciceroni aliquos pares faciebas, alios praeponebas, alibi tanquam vitiosum effugiendum dicebas, quem

ne-



neque posse imitari videremur, neque velle deberemus. Quare igitur puerorum ætatem improuidam atque simplicem ludificaris? fallaci obijcis labori, perdita spe irritas? turpi prouincia implicas? Quare opinione tua nostraque frustaris? quem in sinu foueant, tanquam anguem labori, atque spei, atque indolenti suæ insidiantem? sed vt æmulentur, inquires, fortassè, non vt imitètur. quoniam qui æmulantur etiam melius dicturos sese sperant. At ad cuius apicem aspirare tua sententia non possumus, quomodo superabimus? cum Cicero- nianis virtutibus vitia proxima sint, quonam pacto pueri foueas illas euitabunt? Quantos limites sibi præscribent? qua ratione superabunt æmulando, quem imitando æquari posse negas?

Ad argumentorum iam hinc fallacias ruit, atque aliquè Ciceroni parem esse posse dicit: qui tamen illi sit dissimilis. Smaragdum igitur, & Pyropum simul comparat, æquatque dissimiles tamen, sed & Grammatistas istos obliquarum sinu rapi fallaciarum, ac cæteris idem velle persuadere eiusdem profus dementiæ est. Eiusdem propinqui generis comparationem te facere oportebat



*Sorbona  
Doctores.*

tebat, magister, inter Pyropum & Pyropum diuersas species subditas conferendo, atque ita oratores inter sese committere, ut quotus quisque extaret, videremus. At cum summum genus illorum mutuatis diuersa genera coniungis, falleris iam. Hoc enim erit Ciceronem cum Liuiio, cum Vergilio comparare, quos inter se suo quenque genere aequales maxime confitemur. Quid si hic aliquis eorum scholasticorum e Sorbona, quos honoris causa nomino, quos tu ineptus irritas, nunc surgat, qualem tibi gratiam referat? Quid enim respondeas, si ita loquatur? Pyropus smaragdusque nequaquam aequali precio sunt. dummodo caetera, ut aiunt, paria sunt. Nam si species impares non sint, statim easdem esse necesse est. Licet enim genus aequaliter in omnes partitum sit, differentiae tamen aliae alijs praestant, quibus constitutae species eadem ratione inter se praestare coguntur. Nam quod in Qualitatibus similitudo dicitur, in Quantitate id aequalitas est. In ea vero quam Substantiam vocant identitatem esse statuerunt. Audis Grammaticae, quae tibi dicat pallidus ille, atque horridus scholasticus, a Colloquiorum tuorum hilaritate quidem longe summo-

mo-



motus, sed verò animi pabulo, puro sapientiae succo nitidus, ac florens, qui & vocis sono minus recepto statim te verberavit. Cuius tu studia si vel tantillum imitatus esses, nequaquam pares ad fallacias diuertisses. Cum de verum similitudine argutaris, *simia*, inquis, *homini omnium animalium simillima est, & turpissima omnium tamen*. At aliud est vnaqueque in re figura, quæ lineamentis continetur, aliud forma, quæ vt res ipsæ sint, efficit. Dico tibi igitur in *simia* si hominis forma viget, si diuina animi nostri latet vis, si a recto, id quod hominis verè est, non abscedit, satius multò fuisse tibi *simia* vt esses præoptare, quàm homo is, qui præter hominis figuram haberes nihil. At *simius* tuus hypologus mauult se pauonem esse, mauult camelum, quàm *simiorum* formosissimum, credo etiam porcum diceret atque asinum. Porro non est imitatio, vbi error est. Homo igitur homini similis, *simia* verò nō. in qua multi errores deprehenduntur. Eadem ineptia tempus conterit circa asini vocem atq; cuculi quem tamen, odio credo Cicerōis, ne Latino quidē nomine dignatus est. Maluit enim vbiq; coccygē dicere. Ad humanam vocē eos propius accedere, quam



quam lusciniæ. Et tamen Lusciniã præferri. Aliud est, ô bone, Musice sonus vocis, aliud ipsi, vt ita dicam, articuli. Quamobrem ij quoniam in cuculo & asino desiderantur, in Luscinia adsunt: vtra tandem eligeretur in promptu est dicere. ac propterea eadem luscinia non iam cuculo comparata, sed homini quoque cantu ita præfertur, vt cum cantoris cuiuspiam guttur, accentiunculasque laudare volumus, lusciniæ ipsas comparemus. Quod si inutilem ignotumque eius cantus flexum, atque anfractum cum hominis oratione vel horridæ atque rusticæ vocis conferemus; pro nihilo despicietur. Nego tibi in homine summum robur, nego acutissimum visum, nego perfectam celeritatem, nego suauissimam vocem. nõ enim propter hæc homo factus est, propter animi vim, quam cum Deo optimo maximo communem habet. Cætera omnia mediocria & sana, non ad impetum capiendum, vt in belluis, pecoribusve, sed ad illius eiusdem animi usum constituta. Quare cum falsa hypotesi vsus sis, ne non semper falleres, finges, mentireris, haud mirum si hypologum tuum modò camelum, modo asinum effecisti, modo aliorum pecorum corium, corque induisti.

lam



Iam verò cum Catonem Vticensem  
 sæpius persuasisse, quam Cicronem  
 dicit, non imitatores iam comparat,  
 sed ipsum principem minus eloquen-  
 tem dicit; Quam impudentiam ex hi-  
 storijs quas nullas super ea re haberet,  
 nequaquam testimonio comprobavit.  
 At verò quot à caussis cecidit Cicero?  
 cui tantum vacavit, vt tam anxie om-  
 nia iudicia, omnes in Senatu senten-  
 tias, conciones, disceptationes nume-  
 rarit? etiam ne huius rei numerus  
 literarum monumentis scriptus est? Et-  
 iamne tu qui nostram vitam breuem  
 ad vnius tantum viri imitationem de-  
 ploras, tu, inquam, id otij nactus es, vt  
 numerares? Tu qui à sacris libris ne la-  
 tum quidem vnguem discedendum iu-  
 bes, ad tuorum digitorum numerum,  
 Cicronis omnes Catonisque actiones  
 in foro, in comitijs, in curia, in bello, o-  
 mnes inter amicos disceptationes, qui-  
 bus per triginta amplius annos insuda-  
 uerant, collegisti? Quod si reum qui m-  
 piam Cicronis opera à Catonis crep-  
 tum accusationibus ostendam, vter tã-  
 dem maior eloquentiæ auctor videbi-  
 tur; An non L. Murenam, quem mani-  
 festi propè criminis Hortensius accu-  
 sabat, Cato verò etiam premebat in fen-  
 sius,



sius, orante Cicerone Iudices absoluerunt?

His tot tantisque ineptiis cum frustra decus Eloquentiae maculare tentasset, quoniam satis esse desperabat, propositis laboribus, ab imitando deterrere conatus est: *Sipresto, inquit, esset ea Eloquentia, haudquaquam reiiciendam arbitrarer.* Qua laude, mea quidem sententia, nullam cumulatorem attribueret potuit. Quanto enim quaeque leuiora sunt, tanto & parabilia. Caetera magna, ingentia, aeterna, operosa omnia, laborem diuturnitate sua compensant. Repente orta cito intereunt, atque euanescent, ortus sui finisque parem fortunam fatumque sortiuntur. At versus Dialogi sui calcem humanam vitam deplorat: *Nollem, inquit, valeudinis vitaeque dispendio eam eloquentiam parari.* Ita ne, Erasme agis ut ignobile abiectamque vitam, nobili atque illustri anteponas? Toto igitur literarum orbe atque ambitu abstinendum fateare, necesse est. Sublato namque corporis exercitio, iis horis quas literarum studiis impendimus, intentis animi instrumentis in eam corporis partem, quae rationis, iudicij, inuentionis moderatrix est, auertitur necessario naturae opus, ab al-

*Vita breuis sed gloria aeterna.*

*Studiosior incommoda & labores.*



lendis membris. Frustra enim vis illa, quam Galenus attrahentem vocat laborare visa est. Frustra est ea quæ retinet, nihil habet immutatrix, quod immutet, expultrix quod exigendum est, ne cæteræ quasi in vacuo destituantur, non expelht. Quamobrè neq; corpus nutritur, & corrupti humores ex arterijs nequaquam euaporabunt. Ex illo igitur imbecillitas infidebit, ex hoc morbi subrepent, ex vtroque interitus subsequetur. Hinc illi palliores, facies exanguis, oculi caui, frons contracta, infirmus ingressus, ac vacillans. quæ omnia eadem ratione vt euites, literarum studiū totum quod earū rerum causa sit, euitare item debes. At non sic Prodicus Hercules, non sic, Erasme, ille Voluptatum illecebras, quæ omnem ætatem sollicitare solent, iuuenis adhuc cum Virtutis salebris commutare minimè dubitauit. Ille reiectis commodorū fucis laboriosam vitæ semitā ingredi præoptauit. Ille Virtutē vitæ, quæ hæc sine illa nihil esset, potiorem duxit. At non sic Achilles rationes suas subduxit. quæ longæ uæ ætati breuē gloriam, eamq; perpeti ærumna partam prætulit. Proinde ijs exemplis de sine territare magnanimos adolescentescens, uumq; illū metum ymbratili-

*Hercules  
Prodicus*

*Achilles.*

lem



lem natis parce tuis. *Vel nimio, inquit, constaturam illam eloquentiam vereor, etiã si assequamur.* At, ô rustice, quid egregij nimio constare potest? An non liberũ caput propterea nullam recipit estimacionem, quoniam libertas nimio constare non potest? Pro qua non nobis ipsi modò paranda, moriendum est, sed ut eam posteris quoque relinquamus. At, inquires, nemo tantum potest ut & Philosophiam & Theologiam, & Eloquentiam assequatur. Quid tu Platonẽ infantem putas? at iam tandem desine totum orbẽ tuo metiri modulo: quodque tu non potes, cæteros quoque ne possint, nimis inuide deterrere. Sed ex alieno Genio tuam pensare incipe infirmitatem. Atque id ego nequam ita dico, ut contra, me parem tantæ prouinciæ profitear: immò verò nihil minus. Sed tantò modestius quam tu id ago, ut quam plurimos esse arbitrer, qui id possint.

*Numismata Rom.*

Diuertit hinc ad numismata, quorũ possessores putidius, atq; rusticius insectatur. Ego verò ijs ita usus sum, ut pro lectione haberem, fateorq; aliquot in rebus me minus rudem effectum, siue literarum notas legerem, siue imagines contemplerer. Qua tempestate, quod



feram monumentis, cum ijs, quæ sub oculis subiecta erant, conferebam, atq; adeò Imperatores ipsos inter sese comparando, eorum quoque facinora, quæ ad vitæ cultum attinerent, in memoriam redigebam, cum ex illis lineamentis animum meum componerem ad eos cognoscendum, quos mihi, aut fugiendos, aut imitandos proposuissem. Hanc si tu Ciuilem prudentiam reijcis, tollis, damnas, ac ne quicquam quidem librorum legendum censebis, in quibus ea quæ in nomismatis exculpta sunt, contineantur. At tibi eruditio hæc displicet, eam tu contemnis, quid hoc? Saltem nobis permitte: dum tu calicum scyphorumque magnitudinem contemplaris, dum in nitorem miraris, nos haurire florem Historiarum, ex ijs innoxijs notulis quæ neminem insectantur. At sacrosanctæ Crucis tibi signum placet, atque semper Virginis imaginem apud te mauis. Quid, tu ancilla, nos ab eo signo reijcis? pro quo aliquot patruorum meorum ad Methonem & Eubœam mortui sunt: aliquot cum Pio Pico Ionimeo superiore Pont. Max. in ipsius expeditionis auspicijs, inter diurnos nocturnosque labores sibi creditos, inter impositam sibi operam

F expi-

*S. CRUX.**Scaliger  
illustres  
armis.*



expirarunt? Monumentorum præterea inspectiones obijcis nobis. At quid hoc imperij est? imò verò quid fatuitatis? si obuias habeo veteris marmoris notas auertere oculos meos tanquam à prostitutis obscœnitatibus, aut occludere, vt in foueam impingam. Oblatū mihi lapidem æui iniuriæ superstitem iā sexcentos annos totos cum viatoribus colloquentem. Hospitem litterariæ sedulitatis, humanæ sortis restem despiciam, atque abijciam? At ille tuus Socrates interroganti Phœdio, quare minus libenter rusticaretur, respondit. *quoniam semper, inquit, vellet discere. Arua autem atque arbores nolle se docere.* Monumenta igitur quæ nos docēt contemnemus? Tu verò nihil nisi sanctum legis, veterum autem Epigrammatum impuritates atque obscœnitates nunquam legisti. At olim in Aldi officina optimum virum Maximum Planudem impudentiæ insimulabas, quoniam ex 7. Græcorum Epigrammatum libro, vt tu deplorabas argutissimum quodque, vt ipse animaduertentur turpissimum, sustulisset. At quanto tutius est legisse cuiusmodi defuncti sint tumulati, quid egerint, quū aspernati sint? nōne ea proisus Historia est, cum

*Maximus  
Planudes  
apud Al.  
dum.*



cum pro rep. occubuisse testantur? pro patria libertate: Nonne idem mihi proponitur imitandū? Cum ad Marathonem iter aliquis faciebat, nonne par gloriae animus appetens ad parem operam Reip. nauandam excitabatur? ut etiam per eos, qui ibi cecidissent, deierantem Demosthenem iudices attentissime obseruarint. Quid sibi volunt aliud annuæ illæ laudationes, quas Athenis fieri consueuisse tui isti Græci aiunt. Quam ut auditores, cum eorum tumulos, qui diuersis in locis pro patria vitam prodegissent, coram legere non possent, quasi vnum in locū confertos contemplarentur. Quid publicè ali eorum libros refert, qui in prælio cæsi animam efflarant? Quorsum primi confessus in theatro ijs, quorū parētes in legatione mortem oppetissent? Quid in foro statuæ, eæq; non vnæ, nisi ut ad aliud facinus patrandum alius vehementius incenderetur? Hi sunt populares libri, qui etiam nolentes excitant, etiam aliud agentes ad sese trahūt. Nō enim idem omnibus otium, quod tibi est; neq; cuiuis desideretotos dies licet, contubernalium sermonibus augeri, librorum lectione cōponi. Permite & nobis rudibus militibus lectiones nostras, imagines intueri, numismata

*Imaginū  
utilitas.*



inspectare, legere monumenta. At in  
 ijs Solæcismos aliquando deprehen-  
 des. O peruersum lapidem, qui tam no-  
 bilem, tam delicatum virum detinui-  
 sti, occupasti, fefellisti. Fabulam quam  
 piam daturus erat aduersus eos qui nū-  
 quam Solæcismos admisissent. A deo  
 ne ineptus es, Erasme vti doleas, si quis  
 te est indoctior, præsertim lapis? Cari-  
 tatem, inquires, meam esse notam volo.  
 Iam isthuc etiam sine iureiurando tibi  
 credi posse, vel *Ciceroniani Dialogi* testi-  
 monio comprobatur. An fortasè tu  
 solus videri vis, qui nos à Solæcismo-  
 rum offensione cautiores efficere de-  
 beas? At Quintilianus etiam malos li-  
 bros legendos vult, quoniam bonarū  
 rerum leui, tranquilloque lapsu animi  
 gustus fallitur, dulcedine atque suavi-  
 tate delinitus. Quamobrem langui-  
 dius excipit, quod auidius appetebat,  
 aut non tam altè inhæret, aut simul cū  
 sonitu memoria penitus aboletur. Quæ  
 verò asperiora sunt, quæ amara, quæ a-  
 cerba, quæ fœtida, ea verò animum so-  
 pitum excitant, languentem conuel-  
 lunt. Ita porrò monumentorum Solæ-  
 cismi nos item afficient, quos intelli-  
 go qua ratione tantoperè fugiendos  
 censeas, quoniam abs te vno vnicoque  
 cog-



cognoscuntur Censore; nos rudem tur-  
bam fugit ratio, quemadmodum eos  
fugere cautio nobis sit.

Venio ad signa, quibus hortos no-  
stros, aulasque exornatas stomacharis.  
Apollinem, opinor, Romæ, & Laocon-  
tem, atque alia quædam vidisti, quorū  
loco, Domini Dei que nostri Iesu Chri-  
sti imaginem potiorem reponendam  
statuis. Hoc est sapere, Erasme. Quas tu  
imagines olim abolendas tanquam al-  
ter Apollo Delphicus per Lutheranam  
Pythiam edicebas, doctissimorum, san-  
ctissimorumque virorum conuicijs re-  
dargutus restituis, ita ut resiperes coe-  
gerunt. Id quod & in Ciceroniana ca-  
lumnia eorundem opera aliquando tibi,  
cui bene velim, euenturum spero.  
Nam detracta tibi ab oculis liuoris ne-  
bula, derasa membrana inuidiæ ex ani-  
mo, splendor ille Ciceronianæ lucis,  
puriores in aciem tuam acrius pene-  
trabit. Sed, ut ad signa redeam, nunquā  
mihi probati sunt isti Priapi, qui pro-  
hortorum custodibus constituuntur.  
Fac enim impuberes non introire, vir-  
gines non admitti, at foedum æquè vel  
ætate affectis spectaculum est. Sed illi  
sancti cuiuspiam viri imaginem sub-  
stitui debere, semper dignum duxi. La-

*Signamur  
morea.*

*Sanctorū  
imagines.*

*Signa im-  
pudicæ  
viri tollen-  
da.*



ocoon verò tam perfectè elaboratus,  
 quid in te tantùm admittere potuit, vt  
 cùm semel repertus fuerit, non alicubi  
 reponatur. vt mirum sit te tantum Phi-  
 losophum ignorasse, quoquo tu aspor-  
 tandum iusseris, locum occupet neces-  
 se esse. An eo dementiè veneris, vt eum  
 comminuendum censeas, tanto impen-  
 dio, tanta cura, tanta opera paratum?  
 At id tibi verò dominus eius vel serìo  
 pernegat, vt qui Reipublicæ non offi-  
 ciat, neminem laceffat maledictis, Elo-  
 quentiæ commoda non tollat, Religi-  
 onum ordines non labefactet, impia  
 in Dominum Deumque nostrum I E-  
 SVM CHRISTVM non effutiat,  
 indignus visus est ea iniuria, quam tu  
 ipse commeritus illi factam vis imme-  
 renti. Noli perturbare nobis ciuilem  
 viuendi rationem; noli rusticitatem  
 inducere. Non enim feremus te. Nimis  
 es seuerus Erasme nunc, qui tamen ni-  
 mis alicubi risisti. Tun' imaginem  
 opt. Max. Dei nostri vbique pictam, v-  
 bique sculptam vis? At non in cloacis?  
 at non vbi locis publicis (vt veniam  
 præfatus loquar) vrina redditur? En a-  
 liquot loca tibi, eius rei immunia, quæ  
 tu quominus loca sint, efficere non po-  
 tes. Sed erroris tui caussam, video, vnū  
 om-



omnium rerum tenorem esse censen-  
tis: quem tamen Plato ille tuus diuer-  
sissimis ideis separatim distare, memo-  
riæ prodidit. An tu negotiorum item  
multiformē catenamq; seriem vnus  
modò generis arbitrare: Qualem igitur  
inuehis nobis Philosophiam? cū ta-  
men aliud sit forum, aliud templum,  
aliud cenaculū, aliud musæū. Obsecro  
te pro libello semper Virginis canticū  
iudici dabis? A precibus igitur, quibus  
statis horis dant operā sacerdotes, nun-  
quam, ac ne cibum capientes quidem,  
abstinebimus? Quas tamen preces tu,  
quantum in te fuit, sustulisti. An non  
obsecro dormis aliquando tu? Si igitur  
& natura tempus aliud atq; aliud po-  
stulat, si viuendi institutum diuersas e-  
xigit actiones, si aliquando Deum pre-  
cari, alias nauigare, nonnunquam mi-  
litare, interdum etiam cibo refici oportet:  
si ne cælestia quidem vno contex-  
tu ducuntur, videmus, quam sint ini-  
qua tua postulata, quam non æquū pe-  
tas. Tollite equorum vsum, tollite boū  
labores, rejicite hortorum recessuumq;  
amenitates, quib; recreati fortiores su-  
mus. ea enim tota Diuorū imagines nō  
sunt. Quāto perfectius in corde suo Pau-  
lus, Dominum suum nostrumq; habe-  
bat

*Temporū  
locorum -  
que ratio.*



bat nulla vetustate corruptibilem, nulla litura delebilem, nullis obnoxium vitijs parietum, nulla scabrum rubigine metallorum, quem nos eo modo imitari maluimus, quam sacras imagines, suasu tuo de templis sublatas, etiã ridiculis in locis prostitutas habere.

*Theologia.*

*Philosophia*

*Offic. Cic.*

Græcorum Philosophiam, præ Philosophia Christi somniũ tradit. si hanc illi præfers, si præstantiorem arbitraris: id verò nos minimè negamus. An nondum quicquam quod velis, tibi cõficitur? Nam vt duplex Philosophia Christi est, ita & altera. Est enim qua cognoscimus, est quæ in moribus consistit. Quid igitur decem præceptis continetur, quod Ethicorum libris non complexus sit Aristoteles? Quam naturæ legem Romanis Paulus præscribit, quos tu Philosophi illius libros ab hac abhorrentes allegabis? Nicomachios ne? an ad Alexandrum? an Politicos? an Oeconomicos? an quæ Xenophon simili inscriptione prodidit? an quæ in Cyri institutione? an quæ in sua Republ. Plato? in sua item Cicero? an eum quem Panætius nunquam satis laudatum libellum edidit? ab illo ipso Cicerone pari quidem cura, sed exactiori disciplina retractatum, quæ alio atque



que alio tempore diuersis tradita lingu-  
 guis, ac non vna conscripta ratione, ab  
 vno tamen naturæ fonte manasse, cum  
 que ipsa vsque ad hodiernam diem cre-  
 uisse videntur. Quæ verò ad contem-  
 plationem pertinent, quanquam etiã  
 multa exactius à nobis cognoscuntur,  
 si vtranque conuinxerimus philoso-  
 phiam, (ope enim nostra nitendū no-  
 bis est, qui diuino illo spiritu indigni  
 sumus) tamen & in ijs quæ scire quidē  
 non possumus, sed quibus habere fidē  
 debemus, multò præclarius nobiscum  
 agitur, quam cum ijs, qui tuo exemplo  
 illam, quam Græcam vocamus Philo-  
 sophiam, spreuerint. Tanto enim affe-  
 ctu maiore ducimur ad credendum,  
 quantò difficilius nobis persuadetur  
 (& persuadetur tamē) ea facta esse, quæ  
 nescimus qua fieri potuerint ratione.  
 An verò tibi rudis homo tam probus  
 admirator erit primordiorum mūdi,  
 qui in Deo motum fortasse, atque in-  
 constantiam crediderit, atque Philoso-  
 phus, qui hoc nequaquam sibi persua-  
 serit? vter firmiter credet, tametsi vter-  
 que credet? An paries lapideus ingens  
 quominus ruat, non grandiori pila,  
 aut puluillo, quam cratitius fulcietur?  
 Et tamen neuter cadet. An quæ sub dio





*D. Tho-  
mas &  
Scotus.*

ventis moles impugnatur, nec tamen cedit? Tam tibi vili videtur infirmitate, qui cum lignum tigillum conferras? parietum obicibus ab eorund inventorum iniuria subtractum? Num nā igitur tu melius nosti quæ de Christo tibi dicenda essent sine Græca Philosophia, quā Scotus, Thomasq; quorum scientiæ tractus totus ab Aristotele ita pendet, ut plurimum adiuventi nostratibus mysterijs cognoscendis attulisse videantur? Quos tamen tu viros doctos autumas, atque ita doctos, ut etiam Ciceroniana eloquentia insignes atque præstantes predicaris? quoniam & quæ opus essent, & quomodo esset opus, explicarent.

Profugit postremò quasi in asylum quoddam, ad miserorum solatia. Multos mortales vixisse, atque in literis multa cum laude versatos esse, qui nusquam Ciceroniani habiti sunt. Quid aliud serui faciunt? nonne idipsum inter se consolantur? alios quoque seruitutem seruisse summo loconatos: ita multi boni viri sine te eius laudis expertes fuere? quorum aduerso fato te ipsum consolaris? sed multis iniuriam fecit fortuna, quæ ante Ciceronem eos in lucē extulerat, alios voluntas



tas praua retraxit: quosdam virium *Cur multi*  
 conscientia deterruit: alios aliud stu- *non Cice-*  
 dium præuertit. Quamobrem cum eos *roniani.*  
 malis sequi, quam quos clarior gloria  
 ad id laudis prouexit, atque ita ex eo  
 rum palato totum eloquentiæ gustum  
 probari vis, sequi mihi videris illius *Pyrrhonij*  
 Philosophi sententiam, Pyrrhonem *Philoso-*  
 ne an Aristonem intelligas nihil sanè *phi.*  
 refert: Is omnia sub incerto statuens,  
 nihil omninò affirmandum negan-  
 dumve arbitrabatur: Quoniam quod  
 mihi dulce videretur, id amaro gustu  
 ægrotantem infestaret: Quorum perti-  
 naciã Aristoteles ita cõfundit, vt cū o-  
 mnia incerta facerët, hoc ipsum quod  
 afferebant incertum esse fateri cogerët-  
 tur. Quam ob causam trahebantur in-  
 uiti in eiusmodi impedimenta, vnde  
 non nisi veritate confessa possent ex-  
 pediri. Quis tibi dixit vnum aut alterũ,  
 qui Ciceronem despexit, ita vt imitari  
 nollet, ex ea re laudem quæsisse? Ex alia  
 itaque virtute laudandus fuit, ex hu- *Esce! ere*  
 ius defectu non fuit. Sed omninò mul- *nomen à*  
 to maiore laude fuisse dignum dice- *quibusdã*  
 mus, si id quoque eum assequutum vi- *partum.*  
 deremus. Hos eosdem tamen immor-  
 talitatis nomen obtinuisse dicit, quasi  
 verò rem nouam affectet ostendere:  
 quasi



quasi nomen id immortalitatis non  
 diuersis rationibus partum veteres sibi  
 vindicarint. Nam & Phæreclus fabri  
 perpetuum nomen adeptus est, & Epeus  
 fabri atque lixæ simul. Viuunt & nefa-  
 riorum multa nomina. Quot facino-  
 rosi homines antiquæ Comœdiæ Sa-  
 tyrarumque libertate proscissi spirant  
 etiam nunc in illis ipsis scriptis, quibus  
 confossi fuerant. Tot Imperatorum mon-  
 stra circumferuntur. Omitto Catili-  
 nas, Antonios, Syllas, Marios, Diony-  
 sios. Generis enim luce, aut animi vi,  
 cætera vitia non nihil adumbrantur.  
 At non defuere, qui audacia scele-  
 rum, neque alio fine, idem sibi quæse-  
 rint. Fuit & Erostratus quidam, qui  
 nobili facinore perpetuam memoriã  
 sibi condidit, cum Ephesię Dianę tem-  
 plo, quod multarum ciuitatum, mag-  
 norum regum augustissimum opus ce-  
 rat, impias admouere manus ausus, et  
 iam incendium molitus est. Sic & Ore-  
 stæ impietas, myrrhæ incestus, crude-  
 lis Scillæ libido, inter hominum me-  
 moriam perdurant. Atque ego hæc nõ  
 co animo tracto, vt parem horum glo-  
 riam cum bonis viris æquandam cen-  
 seam, sed vt ostendam tibi, quam clau-  
 dis, quam mancis argumentis semper  
 vta-

*Herostra-  
 tus tem-  
 plum Dia-  
 nę incen-  
 dit.*



vtaris: qui etiam non Ciceronianis immortalitatem attribuis, quam non ijs virtutibus tantum, quibus immortales facti sunt, sed vel hoc ipso pertinaciæ vitio, quoniam Ciceroniani esse detrectauerint, eandem immortalitatem acquirere potuerint. Non quoduis viuendi genus, vita est: non quoduis loquendi genus Eloquentia est, non quæuis memoria apud posteritatem immortalitas est, sed ea, quæ omnib<sup>9</sup> animi, corporis, Fortunæ numeris absoluta est vita, ea vita est. Sed quam tu improbè insectaris diuitem, pudicam, illustrem Eloquentiam, ea Eloquentia est. Sed ea memoria cui nemo posterorum obijcere potest, immortalitas est. Quare eorum virorum immortalitati, qui ante ipsum fuerunt, id fato quodā defuisse dicamus, in ijs autem, qui aut cum ipso, aut post ipsum vixere, aut animi aut naturæ vitio desideratum.

Quod verò de totius illius ætatis similitudine atq; æqualitate in eloquendo scribis, iam tum nos ferre potuissemus (id enim ex te ipso non dicis) si de tuo nihil addidisses: sed doctissimorum virorum vetus receptumque iudicium cum repetisses, in sulso deliramēto inquinasti, *Ut non magis, inquis, con-*





ueniat dicere *Caelium Ciceronianum*, quam *Ciceronem Caelianum*. Vbi quam tibi ipsi impedimento sis, quam te implicaris, facile ostendam. Tu enim neminem fuisse vnquam, aut esse posse dicebas, qui Ciceronianus merito agnosceretur. At tantum abest, vt hoc probes, vt quod maius est, etiam ipsum Ciceronem toto genere superatum praedices. Quamnamque ratione Ciceronis eloquentiam nequaquam imitabilem dices? cum tamen Caelij eloquentiam statues superiorem, quam nihilominus Cicero sit assecutus. Quid enim aliud est dicere Ciceronem *caelianum*, quam Caeli eloquentiam sequi?

*Mendaciorum effectus.*

*Pugnancia Erasmi diu.*

Videtis, optimi adolescentes, veterum philosophorum sententiam veram esse, Mendaciorum cuspidem, quoniam obliqua sint, in sese recurere. Quamobrem cum ex multis fictis, atque falsis ad maledicendum sese accommodasset, suis ipse laqueis irretitus est: qui si firmi sunt, necesse est ibi eum perpetuo contineri; sin infirmi, desperandum iam ipsi, quo nos pacto irretitos velit. Aliquando enim Ciceronem imitandum statuit, sed non totum; aliquando penitus rejicit: interdum ex ipso, atque alijs pariter praestantissimi.



tissimam quamque virtutem delibandam monet: alibi ne ad vnum quidem Ciceronem imitandum totam gratem satis esse dicit: alias totam tollit imitationem. Quam insaniam multis repetitam locis putida postremo similitudine inculcauit. *Probam, inquit, virum deformem appositam personam pulchrum videri nunquam affectasse.* Id ipsum ad imitatores pertinere, qui suo d. fraudate genio alienæ indolis, ad quam sese componant, serui fiunt. O inepte, scis ne tuis bonis vitæ nostræ commoda contineri, animi, corporis, & fortunæ? si igitur ita fieri posset, ut pulchritudinis quoque potiundæ copia fieret, optimo illi deformi viro. tu ne eum detrectaturum sperasti? Nunc verò quod fieri nequeat, ne pulcher quidem videri volet. At multò maius vitium cōtra videbitur, si quis probus vir pulcher, appositam deformi persona deformitate mētiatur. Quod malum tua ex oratione optimorum adolescentū animis inuehatur. quos animos, cum pulcherri- mos, aptissimosque ad omnem omniū virtutum modum a natura nacti sint, iam quantum impietatis est, imposita illius infantiae, quam nobis incubantem vis persona: deformitatem tanquā putrem



putrem crustam aureo parieti inducere? Quare non id eueniet monstrum, quod tu scribis. Debere igitur aliquem totam corporis faciem cum alio commutandam expetere. Non enim eorum quæ fieri nequeunt (dico autem tibi hæc qui Aristotelem non legisti) optio esse potest. Corporis igitur speciem nemo est quicum mentis compos commutare velit. Affectus autem ipsi, moderatus, incessus, compositæ munditiæ, oris habitus pudicus, oculorum sanus obtutus, quæ nullo damno utiliter atque honestè parari queunt, non contemnentur.

*Epilogus.*

Hæc sunt, optimi adolescentes, quæ tam prolixa, tam tædiosa oratione ut vos detinerem effecerunt; sed id aduersarij euenit importunitate; qui cum infelicissimis quibusdam vagetur argumentis, eadem repetat, diuersa inculcet, pugnantia dicat, multa vana fingat, multa calumniatus sit, multa impudenter obiectauerit, nescit sese expedire, quasi furiarum scenis agitetur. Tu Erasme, cum tollendam omnem Ciceronis imitationem decreuisses, quare non ita institisti, ut idem semper diceres? Si eius calumniæ poenitebat, quam inconstantissimè toties retractas, quare



re eam aggressus es? aut quare tam ni- ἀνακεφα  
 bili *M. Tullium* tibi videtur? Si enim Cæ- λαμοσιν  
 saris iocis cedit, quoniam moderatus  
 in oratione fuit, si vi Demosthenis su-  
 peratur, quoniam dulciore lapsu attē-  
 ros animos auditorum fallit, Bruti bre-  
 uitate inferior est, quoniam ditissima  
 copia, atque vbere vena fertur, Pollio-  
 nis seueritate minor dicitur, quoniam  
 ciuili condimento suam compriorem  
 orationem esse voluit. Si non est vir  
 bonus quoniam se fecisse dicat, quod  
 in Historijs de ipso scriptum est, si nul-  
 la memoria est cui exciderit Aiacis no-  
 men, si solæcismum admisit eiusmodi,  
 qualem pro latina elocutione om-  
 nia sæcula comprobarunt, si alienos  
 versus inseruit, (quod Lucianus tuus,  
 quod Pláto, quod Aristoteles fecere,  
 quod præcipit Quintilianus, quod tu  
 ipse factitasti) si suos horridius finxit,  
 post vrbs Romæ primordia, quicquid  
 interea Poëtarum fuit imitatus, si te v-  
 no omnium hominum vnus minor  
 est, iam is profectò est nullus. At tu con-  
 tra si nequam homo es, si maledicen-  
 tissimus, si falsa, ficta, vana pro veris,  
 certis, receptis obiecisti, si toties inter  
 sese pugnantia dixisti, si totam Imita-  
 tionem, vt aut cælitus Eloquentiare



*A Cicerone  
ne gesta.  
Per Com  
parat.*

votis expetere, aut nullam habere cogamur, sustulisti; si eos quos nunquam videras, ei homini, qui de te optimè erat meritis, præposuisti, si eum quem parentem tuum appellas, cuius te sobolem scriptis tuis aduersus te extantibus profiteris, iugulasti, extinxisti. qualem te hominem esse, qui non de illo iudices, sed cum illo conferaris, arbitremur? Ille ortus sui, ut inde exordiar, signa atq; portenta præuia habuit, quod iidem Di, qui Consulibus consilia in Reipubl. directuri erant, iam inde futuræ magnitudinis speciem portendebant. Te nascituro quæ signa edita sunt? quæ Erynnes, quæ nocturnæ canes, quæ Furiaë aërem obtenebrarunt? Ille Marfico bello sub Sylla in armis fuit, à cuius impotentia, quæ iam grauior videretur, abhorrens, contulit sese ad ea studia, quæ patriæ salubria fore sperabat, quam tum oppressam gemeret. Tu in ea militia fuisti, quæ cum multò quidem clarior sit, & multò excellentiore Duce, atque imperatore CHRISTO splendescat, Tanto minus te desertorè recipere debuit Italia, vnum hoc merita crimen quod obijceres, cum te infrequentem, atque fugitiuum, tuis signis, atque reposcentibus claustris non redderet.



deret. Ille conterrita Roma contra Syllam dicere, pro Roscio Amerino vnus præstitit, quod tanta ciuitas rerum domina pertimescebat. Tu contra eandem ciuitatem, eam quæ omnibus sæculis miraculo fuit, Eloquentiam lacerare voluisti. Illo orante Apollonius Græcæ facundiæ sua tempestate facilè princeps, græcorum gloriam ex eloquentia, ipsius Ciceronis opera Romam translatam deplorauit. Te incessente maledictis eandem Eloquentiæ gloriam post mille quingentos annos à Romano possessam nomine, non alias in regiones transferri, sed ad nihilum redigi deploramus. Illum Apollo interrogantem cuiusmodi virum dictorum gestorumque ducem sequeretur, cuius exemplo magnifice ageret, ab aliorum deterruit imitatione, se ipse vnum vt sequeretur admonuit. Tu cum nobis ducem vetas. Ille pro libertate quam Vrbi constituerat, pro Vrbe quam ciuibus seruarat, inuidiam, atque ex inuidia exilium reportauit, vt ea causa sua patria careret, propter quam causam, vt omnibus bonis patria esset, effecerat. Tu in eadem gloria quam totus Senatus, vniuersa Roma, cuncta Italia restituerat, ne mortuum quidem



finis conquiescere. Ille nequaquam ex-  
 ilij fractus calamitate, nequaquam An-  
 tonij promissis delinitus, nullo modo  
 imminentis sibi fati metu conterritus,  
 pro ea Vrbe mori maluit, pro qua pari  
 causa morti antea sese obiecerat, ut à  
 cæterorum ceruicibus mortem pro-  
 pulsaret. Ille *parens patriæ* dictus, illi to-  
 gato vni decretæ supplicationes, illi  
 corona ciuica, illi duri Catonis præco-  
 nia, ille Romani splendoris pater, ab  
 umbratili homine, leui transfuga, per-  
 iuro desertore, capitis arcessitur? Quare  
 opt. atq; humanissimi doctissimi que a-  
 dolescentes, si semper solidæ gloriæ ap-  
 petentes, si arrogantia infensi, inuidiæ  
 inimici, vanitatis hostes fuistis, obse-  
 cro, obtestor que per virtutes vestras,  
 eorum que, quorum sedes nunc obti-  
 netis successores, per spes nunc demum  
 resurgentis eloquentiæ, date operam  
 ut negligentia vestra nequaquam pec-  
 sum ijsse videatur. Perdenda sunt vo-  
 bis non audacia modò calumniatoris,  
 sed ut huiusce quoque rei exemplum.  
 Eripite felicissimam optimi viri, me-  
 moriam ex acerbitate maledicentissi-  
 mi hominis: cui inuidia tam illustri  
 nominis insectatiõe satiari nō potest.  
 In vestra capita inuadat aliquando be-  
 stia



stia hæc, si per vos impunè in literarū  
 principem debacchari licuerit. neque  
 um impetum quem aduersus arcem  
 nostram semel cœpit, omittet, quin in  
 cæteros omnes det acriorem. Reijcite  
 hominis intemperantiam, depellite  
 iniuriam, confringite audaciam, abo-  
 lete nefaria decreta, vt plus nunc vo-  
 bis debeant vno seruato Cicerone, o-  
 mnia Latinarum literarum studia  
 quam ipsi deberent Ciceroni, qui cū  
 se ab impuro homine iam morte affe-  
 ctus defendere non possit, sese suamq̃  
 ipse eloquētiam vestrum fidei, in qui-  
 bus spesq̃ opesq̃ omnium bona-  
 rum literarum sitæ sunt, benigni-  
 tate, atque humanita-  
 te vestra fretus, ac  
 fidens com-  
 mendat.

F I N I S.



Candide Lector, irrepserunt pauca  
hæc errata, quo casu nescio,  
quæ sic corrige.

IN præfat. pag. 3. linea vlt. vellet vellet.  
p. 5 l. 11 rancida, rancida p. 4. l. 21. Et gente  
Ex gente. p. 5. l. 1. Ἐψιμαθεία ἰα vel μάθηα  
lin. 16. Turbam, iurbâ l. 30. Agninum Agin-  
num. p. 6. l. 7. idiocismi, idiotismi. p. 8. l. 11 ar-  
subius, artubius. p. 17. l. 9. Eloquentie, Eloquen-  
tia. p. 22. l. 3. diurnam, diurnam. p. 23. l. 25. ad-  
iurasti, abiurasti. p. 26. l. 22. Magni, magnæ. p.  
33. l. 27. qui legib. quæ. p. 39. l. 9 capulam, cra-  
pulam. p. 41 l. 24. Georgie Gorgie. p. 45 lin.  
14. Oratori, Oratoris. l. 21. ἀμφοτέρων, ἀμ-  
φοτέρως. ἱερευσειν, ἱερευσειν. μίσυλλεντε,  
μίσυλλέντε. p. 46. l. 18. ἤγε μόνευε ἤγε-  
μόνευε. l. 23. Bruta, Brute. p. 50. l. 2. σύ-  
λων, Σόλων. l. 23. κεινὰς κεινὰς. πόσα  
ἴσα, ποιήσα ἴσα. p. 56. l. 18. Ηα, Ηαε.  
p. 57 l. 16. ad id, At id. p. 58. in marg. antibar-  
baros p. 59. l. 12 fomitem, fontem. pag. 61. l. 1.  
animum, annum. p. 64. l. 14. ne ipsi, ne ipse. p.  
70 l. 23. peratice, peratice. p. 71. l. 18. Fumius,  
Fumius p. 89 l. 23 ne his, ne is. p. 94. l. 1. et 2.  
dele, vsq; in cōtemptū. p. 96 l. 25. dito, addito.  
p. 98 l. 1 protesiphonie, pro Ctesiph. p. 99. li 10.  
atq; , at quæ. p. 115. l. 29 Coccycem, Coccycem.  
p. 116 l. 23 id imp. ad impetū p. 122. l. 9 à sex-  
centos, iā sexcentos. p. 123. l. 17. libros, liberos.



2  
t.  
e  
d  
r-  
r-  
d-  
p.  
ra  
n.  
l-  
e,  
e-  
u-  
d-  
c.  
ur-  
l.  
p.  
m,  
z,  
i0.  
10.  
m.  
ex-  
os.


*[Faint, illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is too faded to transcribe accurately.]*



























87241

5981

3

**ULB Halle**  
004 720 865




VD 17









IVLII CAESARIS  
SCALIGERI

ORATIO,  
PRO M. TVLLIO  
CICERONE CONTRA  
Ciceronianum Erasmi.

EIVSDEM HYMNI  
*Sacri,*

ET POEMATATA SACRA.

Omnia nunc alijs intacta in lucem  
reuocata.



*Johannes Lupinus  
Saxo Transilvanicus  
Ao 1649*

COLONIAE,  
Apud Bernardum Gualtherium.  
ANNO M. DC.